This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ls
32
83

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Ls 32.83

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

25440

QUAESTIONES SILIANAE.

LUGD.-BAT., TYP. L. VAN NIFTERIK HZ.

QUAESTIONES SILIANAE.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

D. DOIJER,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET IN FACULTATE MED. PROF. ORD.

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

Jacobus Simon van Veen,

E PAGO KRIMPEN A/D LEK.

DIE VII M. JULII A. MDCCCLXXXIV, HORA XI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXXXIV.

Ss 32.83



Constantine Fund

Patri Carissimo

Optimaeque Matris piae Memoriae.

Est consuetudo eorum, qui de aliquo scriptore disputaturi sunt, ut commentationi pauca praemittant, quae de vita illius lectores edoceant. Neque ego igitur ab opere incepto alienum putavi, priusquam ad ipsam, quam mihi proposuissem, quaestionem tractandam accederem, ad pauca, quae de Silii vita testimonia ad nos pervenerunt, lectorum animos revocare.

C. Silii Italici aetas incidit in id tempus, quo poësis Romana decreverat atque umbram tantummodo pristinae gloriae praebebat, ut facile intelligitur ex ceteris eiusdem aetatis poëtis, Valerio Flacco, Papinio Statio, Annaeo Lucano, qui, salvis paucis locis, ea, qua apud Vergilium delectamur, nativa suavitate prorsus carent, ac potius artificiosam quandam doctrinae ostentationem prae se ferunt; cuius rei inter causas haud minimam fuisse credo amissam libertatem, qua omnis liberior ingenii motus impediebatur.

C. Silius Italicus natus est anno 25 p. Chr. n., M. Asinio Agrippa, Cosso Cornelio Lentulo Coss. De loco, ubi natus est, non satis constat. Alii volunt patriam eius esse Itali-

cam, coloniam Romanam in provincia Baetica [1]), alii Corfinium [2]), Pelignorum caput, cui urbi Italicae nomen impositum esse belli socialis temporibus, testes sunt Strabo. V. 167 et Velleius Paterculus II. 16.

Sub Nerone invidiam sibi conflavit: credebatur enim sponte accusavisse, i. e. delatoris munere functus esse [3]). Inter amicos fuit Vitellii, quo principe consulatum adeptus est (anno 68 p. Chr. n.). Consul interfuit Vitellii sermoni cum Flavio Sabino, Vespasiani fratre, de pace componenda [4]). Pro consule Asiae laudem industriae innocentiaeque sibi comparavit.

Suadentibus annis secessit in Campaniam, ubi usque ad mortem, quam insanabilis vulneris taedio voluntariam sibi conscivit (anno 101 p. Chr. n.), otio cum dignitate fructus est.

Haec fere sunt, quae de Silio Plinius nobis tradidit. Restat, ut pauca Martialis de nostro testimonia afferam. Quam magnificentissimis potest verbis eum extollit, quod minime mireris, si reputes Silium opulentissimum, Martialem contra pauperrimum hominem fuisse.

Martialis. Epigr. IV. 14. Sili, Castalidum decus sororum.

VII. 63. Perpetui nunquam moritura volumina Sili
Qui legis, et Latia carmine digna toga. etc.

VIII. 66. Augusto pia tura victimasque
Pro vestro date Silio, Camenae. etc.

Plinius contra l. l. dicit „Scripsisse eum carmina maiore cura quam ingenio."

---

1) Teuffel. Gesch. d. röm. Lit. 320, 2.
2) Cf. Cellarii Dissert. de C. Silio Italico. § 3—7.
3) Cf. Cellarius ll. § 19. Plinii Epp. III. 7.
4) Tac. Hist. III. 65.

Eloquentiae eum operam dedisse intelligimus ex Mart. Epigr. IX. 86: Silius Ausonio non semel ore potens.

XI. 48. Silius haec magni celebrat monimenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumque sui tumulive larisve
Non alium mallet nec Maro nec Cicero.

Vergilium a Silio summopere cultum esse, auctores sunt et Martialis. l. l. et Plinius l. l. „multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monimentum eius ut templum adire solebat."

Martialis praeter XI. 48 (vide supra) etiam XI. 49:

Iam prope desertos cineres et sancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper et unus erat.
Silius optatae succurrere censuit umbrae,
Silius et vatem non minus ipse tulit [1]).

1) Cum Lipsio hunc locum sic legendum esse arbitror: Silius et vatem, non minor ipse, colit.

CAPUT I.

Quum de Silio Italico scribere mihi proposuissem, nil mihi prius curae fuit, quam ut Doctorum Virorum, qui ante me hoc argumentum tractassent, sententias quam diligentissime cognoscerem atque explorarem. Quod quantae molis opus fuerit, nemo non libenter concedet, qui vel obiter diversissimas de poëta nostro sententias perlegerit. Vix quemquam alium poëtam habeas, qui magis locum dederit iudiciis discrepantibus, quippe quem alii laudibus saepius immoderatis cumulaverint, et praeter modum extulerint, ita ut alterum Homerum vel Vergilium eum appellarent, alii vero, neque id minus immerito, depresserint neque in poëtarum numero habendum censuerint. Prioris sententiae exemplo sit Villebrunius, qui in praefatione editioni Silii praemissa [1]), Silium appellat „divinum poëtam, neque ipso Vergilio inferiorem", posterioris, ne plures laudem, Clemens Francogallus,

1) Parisiis, 1781.

qui Silium ineptum hominem, inficetum, ac ridiculum vocat [1]).

Haec duo exempla satis probant me, in utramque partem peccari iudicantem, recte vidisse. Veritas, ut fere semper, in medio sita est, neque multum a recto iudicio abesse mihi videtur Ruperti, qui in commentatione de vita et carmine Silii, poëtae tribuit sane debitum honorem, at eiusdem vitia tamen haud dissimulat.

Quaestio, utrum Silii poëma sit Epos, an poëma historicam, an (ut Ernesti vult [2])) mera ἐπίδειξις sive declamatio rhetorica, a proposito meo prorsus aliena est; in hac re suum quisque iudicium sequatur. Hoc tantum addere lubet, persuasum mihi esse, Silium in bello Punico Secundo describendo minime id tantum egisse, ut doctrinam scientiamque prae se ferret, sed multo magis ea ratione adductum esse, ut aequales suos, longa servitute degeneratos atque corruptos, praeclaris maiorum factis quam vividissimis coloribus depictis, ad aemulationem stimularet. Cuius sententiae participes esse video Cosackium [3]), Kererum [4]), et Rupertium [5]). Maioris momenti, opinor, disquisitio est, utrum Silio fides, quam dicimus, historica abiudicanda sit necne, et quibus auctoribus potissimum pro fontibus et exemplis usus sit. At de exemplis quidem satis constat Silium praecipue Vergilium atque Homerum sequi, quorum verba, comparationes, omnem denique ornatum poëticum multis locis ad verbum fere expri-

---

1) Essais de critique sur la litterature ancienne et moderne, Amsterd. 1785.
2) Disquisitio de Carmine Siliano, pag. 21.
3) Cosack, Quaestiones Silianae. Halis. 1844, pag. 15.
4) Kerer, Ueber die Abhängigkeit des Silius Italicus von Livius, pag. 7.
5) Commentatio de vita et carmine Silii, pag. 29.

mit, cuius rei vestigia passim occurrunt. Ex ingenti copia pauca eligere satis erit.

Lib. III. 62 sqq. Hannibal in Italiam profecturus uxorem Himilcen cum filiolo dimittit; quem locum evidenter debet Homero [1]), qui tamen Silium cum animi ardore tum suavitate permultum superat.

Lib. XIII. 381 sqq. describit Scipionis iter ad Inferos, ubi umbras et patris patruique nuper in Hispania occisorum, et multorum aliorum insignium hominum videt. Quin hoc loco imitatus sit Homerum [2]) et Vergilium [3]) dubium esse non potest.

Lib. II. 395 sqq. legimus copiosam Hannibalis clipei descriptionem, quam deprompsit de Homero [4]) et Vergilio [5]).

Pluribus verbis hoc loco tractare hanc quaestionem non iuvat, quum et Wezelius [6]) diligentissime hoc munere functus sit, neque mihi infra occasio huius rei exemplis illustrandae defutura sit. Praeterea nulla editio non exhibet copiam ingentem locorum ex aliis scriptoribus, quos Silium ante oculos habuisse pro certo ponendum est.

Transeamus igitur ad eos, qui de fontibus, et, quae cum iis artissime cohaeret, de fide historica scripserunt. Ex eo tempore, quo noster a Poggio, vel potius a Bartholomaeo

---

1) Iliad. VI. 394 sqq.
2) Odyss. XI.
3) Vergil. Aen. VI. 235 sqq.
4) Iliad. XVIII. 278 sqq.
5) Aen. VIII. 626 sqq.
6) De C. Silii Italici cum fontibus tum exemplis. Lipsiae. 1873.

de Montepulciano, comite Poggii atque adiutore [1]), ex tenebris bibliothecae Monasterii Sangallensis in lucem protractus est (anno 1417 p. Chr. n.) nemo fuit, cui persuasum non esset, Silium in carmine suo componendo, praeter alios scriptores, praecipue Livii decadem tertiam habuisse, unde materiam historicam carminis sui hauserit. Inter alios, quos dixi, auctores Ennium non infimo loco habendum esse constat, quantum saltem ex parcissimis huius poëtae fragmentis conici licet. Quae fragmenta cum poëmate Silii in eo, quem supra iam laudavi, libello de fontibus exemplisque Silii comparavit Wezelius, qui tamen ut in vestigiis Ennianis apud nostrum deprehendendis paulo prudentius egisset maxime optandum fuit. Ne levius vituperare videar, huius rei pauca exempla afferre libet.

Sil. IV. 753 sqq. Commemoratur Carthaginiensium mos immolandi pueros:

> Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
> Poscere caede Divos veniam, ac flagrantibus aris
> (Infandum dictu!) parvos imponere natos.

Senatores Carthaginienses nuntiant Hannibali decretum esse, ut filius eius Diis sacrificaretur. Haec res a Livio non narratur. Aliunde ergo sumpserit eam poëta necesse est. Sed unde? Wezelio constat ex Ennio, eiusque fragmentum 278 [2]) eandem hanc rem spectare:

---

1) Cf. Teuffel, Gesch. d. röm. Literatur. Leipzig, 1875, pag. 721. infr.

2) In versibus numerandis sequitur Vahlen, Ennianae poësis reliquiae, Lipsiae. 1854.

Poeni suos soliti Dis sacrificare puellos.

Secundum Wezelium igitur ad Ennii narrationem Silius adumbravit suam, idque eo credibilius existimat, quod apud nullum alium, quem Silius secutus sit, poëtam, huius moris mentio fiat. Quam opinionem refellit Io. Schlichteisenius, qui Dissertationis [1]) p. 34. 35 citat Diodorum Siculum XX. 14. 4, Iustinum (cuius auctoritatem Silium saepius consuluisse constat) XVIII. 6. 12 (loquentem de Carthaginiensibus): „quippe homines ut victimas immolabant; et impuberes, quae aetas etiam hostium misericordiam provocat, aris admovebant; pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent." Quem locum ascribendum putavi, quod singula verba mirum in modum cum Silio congruere mihi videntur. Porro Curtium IV. 3. 23 Plinium N. H. XXXVI. 5. 39. Quod autem hic oblitus est laudare Ciceronem, quem tanti habebat Silius totiesque secutus est, valde miror, apud quem, De re publica III. 15. 21, haec leguntur: „quam multi ut Tauri in Axino, ut rex Aegypti Busiris, ut Galli, ut Poeni, homines immolare et pium et dis immortalibus gratissimum esse duxerunt."

Quem connexum Wezelius videat inter versum Ennianum (inter incertae sedis fragmenta v. 487):

Deque totondit agros atque oppida cepit.

et versus Silii XII. 420 sqq.:

---

1) De fide historica Silii Italici quaestiones historicae et philologicae. Regimontii 1881.

At Libyae ductor, Marcello fractus, et acri
Contusus pugna, campos damnarat, et arma
Verterat ad miseras non aequi Martis Acerras. etc.

assequi non possum. Verba, opinor, vagiora sunt, quam ut cum ullo certo loco apud alium poëtam coniungi possint.

Ceterum quaestio haec neque ad opus mihi propositum pertinet neque suspicionem movere velim me diligentissimum Wezelii laborem inique detrectare. Unum atque id ultimum exemplum sufficiet ad demonstrandum non semper eum aureum illud proverbium „ne quid nimis" observasse.

p. 44. Contendit Silium narrationem illam de milite ex castris Poenorum profugo, ab ipsius filio apud Romanos militante imprudenter interfecto, quae res legitur IX. 66 sqq., ex Ennio deprompsisse, ad quod confirmandum confert verba Ennii (283):

Certare abnuo. Metuo legionibus labem.

cum his versibus Silianis:

— — Poenoque neget certamina Martis.
— — quaeso, cohibete furentem
Varronem — —
— — — fuge proelia, Varro!

Pluribus verbis, quam parum veri similis haec coniectura sit, demonstrare supervacaneum videri potest.

Anno 1844 prodiit Halis dissertatio academica Guilelmi Cosackii, cui titulus: Quaestiones Silianae. Auctor proponit sibi probare, Silio omnem auctoritatem historicam abiudicandam esse. Primo capite, p. 1—16 agit de ratione ac norma,

quam in Silii opere percensendo sequantur interpretes oportet, atque demonstrat primum omnium, temporis rationem esse habendam, quo poëma scriptum sit, cuius tam vitiis quam virtutibus imbutum sit. Altera parte pertractat poëtae locos hinc illinc collectos, partim cum Livii enarratione congruentes, partim ab eo differentes, alios sine dubio fabulosos, alios, etsi historicae fidei speciem prae se ferentes, tamen in fabularum censum referendos. In fine libelli (p. 56) iudicium suum his fere verbis concipit, Silio fidei historicae laudem derogandam, et negandum eum auctorem esse, quem in rebus incertis sequi possimus. Quod ad fontes attinet, pro certo ponit, eum saepissime Livium esse secutum, Ennium contra, etiamsi fortasse Annales cognoverit, in carmine elaborando non adhibuisse.

Unam alteramque partem, quibus minus recte iudicavisse mihi videtur, paulo diligentius inspicere fortasse haud ineptum erit.

P. 25 sqq. tractat varietatem nominum apud Livium et Silium occurrentium, cuius rei originem atque causam reperisse sibi videtur in alio fonte a Silio adhibito. Inter alios citat Magonem, cui apud Silium permulta tribuuntur, quae Livio auctore ab aliis dicta et facta sunt. Qua de re quid ego sentiendum esse putem, fuse exponetur infra ad Sil. VII. 310 [1]).

P. 35. Credit Silium non ex Livio hausisse narrationem notissimam de Capuanis Romae poscentibus, ut posthac alter

---

1) Cf. Schlichteisen, de fide hist. Silii, p. 56.
Bauer, Ueber das Verhältniss etc., p. 12.

consul Campanus crearetur, quam rem Livius, quamvis in nonnullis annalibus scriptam, sese veritum esse pro certo ponere dicit [1]). Immo vero hinc praecipue apparet a Livio eum pendere. Quodsi Livius hanc rem non narravisset, bene se haberet viri docti sententia. At ubique videmus, ubi Livius citet duas pluresve sententias diversas, Silium eam, quam poëticae tractationi aptiorem censeret, elegisse [2]).

Ut supra dixi, nemo dubitabat, quin Livius praeter alios auctores esset princeps Silii fons; neque omnes Editores, ut Ernesti, Ruperti et alii non ubique summa cum cura ascripserunt locos Livianos, singulis Silii versibus respondentes. Ac sane ubique tam manifesta vestigia connexus inter utrumque deprehenduntur, ut incredibile videatur unquam quemquam inveniri potuisse, qui negare auderet alterum ab altero pendere. Atque tamen is homo inventus est. Anno 1874 Ilfeldiae in lucem edidit Max. Heynacherus dissertationem academicam, cui titulus: „Ueber die Quellen des Silius Italicus, erster Theil", et tribus annis post in programmate Scholae Monasterialis Ilfeldensis commentationem, quae inscribitur: „Die Stellung des Silius Italicus unter den Quellen des zweiten Punischen Krieges", in qua dissertationem inauguralem iterum typis mandavit et paucis tantum mutatis continuavit; quibus libellis demonstrare contendit Silium a Livio omnino non pendere, et in narrandis rebus Punico bello secundo gestis, vetustissimos Annalium scriptores ac potissimum Fabium Pictorem secutum esse. Disquisitionis

---

1) Liv. XXIII. 6 extr.
2) Cf. Bauer, p. 16.

fructum complexus est sexaginta sex paragraphis, quibus, ut ipsius verbis utar, vulgarem illam opinionem, quasi ex Livio Silius materiam suam hauserit, penitus redarguisse atque evertisse sibi videtur.

Eo audaciae processit Heynacherus, ut contendat Silio inter fontes Punici belli secundi locum tribuendum esse. Scribit enim [1]): „Der Werth des Silius, den seine gelehrten Neigungen veranlassten, die historischen Nachrichten der ältesten Annalistik zu entnehmen, wird durch unser Resultat keineswegs herabgedrückt. Die Quellenkritik, die ihn bisher als Nachbeter des Livius ignorirte, muss ihn jetzt beachten. Silius giebt ein anschauliches Bild von dem Wissensinhalt und Wissensumfang der ältesten Annalistik."

Ubicumque potest, deprehendit vel minimas discrepantias, quae argumento suo prodesse possint; magnam contra et nonnullis locis vere mirabilem utriusque necessitudinem aut prorsus negat, aut, ubi omnino negari nequit, refert ad fontem utrique communem.

Nemini mirum erat, hanc rationem novam atque inaudita quadam fiducia, quasi refelli nullo modo posset, prolatam, impugnatam esse a doctis viris, quibus, ut opinionem, quae longo temporis spatio inveterasset, subito dimitterent, persuaderi non posset.

Anno 1881 prodierunt duo libelli, quibus Heynacheri opinio redargueretur. Quorum alter est programma Gymnasii Botzeniensis, cui v. d. A. Kerer praemisit disquisitionem,

---

1) Progr. p. 68.

quae inscripta est: „Ueber die Abhängigkeit des Silius Italicus von Livius", quae, quamvis diligenter scripta, uno eoque maximo mendo laborat [1]), ut perexiguam vel potius nullam rationem habeat Heynacheri argumentationis, qui pro integro ac sincero animi iudicio, quo rem suam egit, minime indignus est, qui argumentis refutetur.

Praeterea et in hoc Kererus peccasse mihi videtur, quod, ut Heynacherus in Scyllam, sic ipse in Charybdin incidit. Ardenter enim ostendere cupiens nullius auctoris nisi Livii auctoritatem in carmine scribendo Silium secutum esse, testimonia affert huius rei, quae fundamentis minime firmis innixa videntur. Quod ex his potissimum locis apparere poterit, de quibus paucis disputare iam iuvat.

P. 12 ad Sil. I. 133:

Tertia qui tulerat sublimis opima Tonanti,

ubi annotat Kererus: „Ueber den von Romulus eingeführten Brauch, die Spolia opima dem Iuppiter Feretrius zu weihen, berichtet Liv. I. 10. 5. 6, wo es unter andern heisst: Iuppiter Feretri, inquit, haec tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque his regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spoliis, quae regibus ducibusque hostium caesis, me auctorem sequentes posteri ferent. Ebenso IV. 20. 3 und 32. 4."

Num, quaeso, illud pro argumento haberi potest? Quasi vero Livius unus omnium scriptorum Romanorum opimorum spoliorum mentionem fecerit.

---

1) Cf. Bauer, p. 6.

P. 18. „Die Abstammung der Römer erwähnt Livius in der Praefatio und im ersten Buche c. 4. 2 und darauf gestützt sagt Silius I. 634. 35:

Sacrata gens clara fide, quam rite fatentur
Marte satam populi ferro parere subacti."

Audacius, opinor, dictum est. Originem Romanorum divinam non Livius modo sed omnes, qui populi Romani historiam scripserunt, auctores commemoraverunt. Num credibile est, Silium, cui Plinio teste [1]) „multum ubique librorum fuerit", hanc rem ex Livio solo cognitam habuisse atque expressisse?

Sed haec hactenus. Plura, etsi possim, addere nolo, quod haec satis superque probabunt me non leve iudicium tulisse. His locis autem, ubi minus feliciter comparavisse Kererum statuendum est, opponi possunt permulta, ubi rem acu tetigit. Qualia sunt:

Sil. I. 183. 84 et Liv. XXI. 3. 1;

Sil. I. 242—260 (quibus versibus Hannibalis patientia in laboribus tolerandis narratur) et Liv. XXI. 3. 5;

Sil. I. 288—293 (de Saguntinorum origine) et Liv. XXI. 7. 2;

Sil. II. 282 sqq. (continens Hannonis orationem bellum cum Romanis dissuadentis) et Liv. XXI. 10. 3—5;

Sil. III. 455—465 (Rhodani fluminis traiectus) et Liv. XXI. 27. 5; quae loca quivis Kereri libellum legens innumeris aliis augere potest. Superest ut dicam libros primum, secundum et tertium hunc in modum eum tractasse.

Alter libellus, eodem anno editus, cuius passim iam men-

1) Plinii, Ep. III, 7.

tionem feci est dissertatio inauguralis Io. Schlichteisenii [1]), cui titulus: „De fide historica Silii Italici quaestiones historicae et philologicae." Bipartito hic auctor materiam tractandam divisit, in partem poëticam et historicam. Contulit se ad demonstrandum fidem historicam Siliano carmini non inesse, sed per totum carmen, licentia quae poëtis indefinita permissa sit, nostrum usum esse, quo fit ut plane abhorreat ab Heynacheri ratione, quam saepe acerbissimis verbis perstringit, ut p. 12, ubi haec leguntur: „Verum enim vero se in poëta tractando versari, cuius ut vera dicat minus interesse debet, quam ut delectet, Heynacherus paene oblitus esse videtur, cum perpaucis tantum locis libertatem poëticam sibi obiciat. Immo dici vix potest, quam multa absona, quin etiam falsa nobis venditaverit."

Tractandos sibi elegit tres libros, tertium, quartum et quintum, quos aptissimos censeret, et propter materiam et propter fabulas cum historia tradita mixtas, quibus demonstretur, quam rationem in carmine componendo Silius tenuerit.

In disquisitionis parte priore tractat res fabulosas et ficticias, quas poëta rebus historicis miscuit, ut legationem ab Hannibale ad Ammonis oraculum missam, narrationem de Pyrenaeorum nominis origine, certamen fratrum trigeminorum cett. Ubique arripit occasionem Heynacheri sententiae impugnandae, quasi Silii carmen inter fontes historicos fide dignum sit. Sic. p. 31 demonstrat Gestar nomen Punicum notissimum fuisse, quod ter [2]) ad diversas personas signifi-

---

1) Regimontii, 1881.
2) Sil. II. 327, XII. 262, IV. 627.

candas occurrat, ut minime verisimile sit, Silium nomen senatoris illius Carthaginiensis, Hannibalis partibus faventis, ex annalibus antiquis repperisse, ut vult Heynacherus [1]).

In parte posteriore, res vere historicas continente, demonstrat, Silium non modo non a Livio discrepare, sed potius eum fere semper ante oculos habuisse, nonnunquam etiam Polybium, quod Heynacherus passim vehementissime negaverat. Summa cura haec disquisitio scripta est, neque dubito quin auctor optime de illustrandis difficillimis quaestionibus meritus sit.

Restat ut pauca dicam de libello insignissimo, cuius auctor Schlichteisenii vestigiis institit, eumque, ut ita dicam, continuavit. Est dissertatio Ludovici Baueri: „Das Verhältniss der Punica des Silius Italicus zur dritten Decade des Livius" [2]). Dum ipse iam in poëta nostro tractando versabar, hic liber prodiit, neque exigua cura me sollicitum habuit, ne mihi nil reliqui fecisset. Cum vero ipsum libellum legissem atque relegissem, paulatim, quod mihi gratissimum erat, animadverti, rem nondum prorsus exhaustam esse, nec pauca mihi relicta esse, quae ad Silium illustrandum conferrem. Ut Schlichteisenius, ita Bauerus quoque, materiam divisit duabus partibus, quarum altera de discrepantia agit, altera de congruentia inter Silium et Livium intercedente. Non, ut Schlichteisenius, satis habuit unum pluresve libros quam diligentissime perscrutari, sed disquisitiones per omnes septemdecim libros extendit, idque ea religione, ut summa admiratione dignus mihi videatur.

1) Progr. 17. 19.
2) Erlangen, 1883.

Quum mihi in animo esset, antequam hanc dissertationem cognovissem, quaestionem mihi propositam eo modo tractare, quo illum nunc idem fecisse vehementer doleo, consilium mutare coactus sum ita, ut Schlichteisenii exemplo inductus decreverim duos libros mihi sumere tractandos, idque minute, ut ille fecit in libris a se tractatis. Secundo igitur capite iam ad hanc materiem tractandam accedo.

CAPUT II.

Libri VII initio poëta narrat Fabium, cui populus Romanus salutis habenas credidisset [1]), dilectu habito, exercitum ex civibus sociisque scripsisse, quam rem copiosius narrant Livius et Polybius, quippe quorum alter duas, alter quatuor eum legiones scripsisse tradant [2]). Neque hoc loco, neque alibi historicum agit, rectusque numerus parum ei cordi est.

Hannibal, quum Romae dictatorem dictum cognovisset, id non temere factum esse putat, atque ardore flagrat sciscitandi, quem tandem virum sibi parem Romani in extremo discrimine rerum afflictis suis rebus praefecissent (20—25). Acciri igitur iubet unum ex captivis, quem interroget de ingenio moribusque Fabii. Quin hoc commentum poëticum sit, vix dubito, non tantum quod historici de tota hac re tacent, sed etiam ratione habita captivi nominis et rerum ab

1) Cf. Sil. VI. 611 sqq.
2) Liv. XXII. 11, Polyb. III, 88.

eo dictarum. Fabii enim ingenium expromentem inducit Cilnium quendam Arretinum, nomen ex Augusti principis historia satis superque notum, sed quod apud auctores, qui de Punico bello secundo scripserunt, nusquam occurrit.

Solet poëta, ut et alibi apparet, nomina virorum, qui qualicunque modo domi militiaeque ceteris aliquando praestiterunt, sui carminis personis indere, sive quo praeclarorum hominum commemoratione rebus a se narratis gravitas quaedam addatur, sive quod eo gratiam inire velit apud aequales. Passim huius rei exempla occurrunt. Sic memorantur laudibusque efferuntur Ennius [1]), Tullius [2]), Pedianus [3]), Scaevola [4]), alii.

Neque hoc solum adduxit me, ut crederem, hoc pro ornatu epico habendum esse, sed etiam verba, quibus Hannibali Cilnius respondit. Prima verba, si paulo diligentius inspexeris, reperies deprompta esse e Livio [5]): „tacita cura animum incessit, quod cum duce haudquaquam Flaminio Sempronioque simili futura sibi res esset, ac tum demum edocti malis Romani parem Hannibali ducem quaesissent", quibuscum verbis optime quadrant Siliana:

VII. 34. Non cum Flaminio tibi res, nec fervida Gracchi
In manibus consulta, inquit — —

Iuvat poëtas, verba et cogitata apud historicos in univer-

1) XII, 393 sqq.
2) VIII, 404 sqq. XII, 175.
3) XII, 212.
4) VIII, 384 sqq. IX, 372.
5) XXII, 12, 5.

sum adumbrata, certis personis attribuere [1]), qua re efficere student, ut lectorum animi magis teneantur ac delectentur.

Quodque quum maxime hanc opinionem confirmare videtur, Lucanus [2]) narrat rem huic aliquatenus similem, ducem Pompeianum captum ad Caesarem ductum, captivitatis impatientem, id egisse, ut audacia Caesaris iram moveret et ab eo interficeretur. Conferantur inter sese hi loci:

Sil. VII. 33. Hic (Cilnius) ardens extrema malis, et rumpere vitam:

69. Quem cernens avidum leti post talia Poenus. etc.

Luc. II. 511. — — Vultu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.
Scit Caesar poenamque peti, veniamque timeri.

Ceterum Caesar Poeno praestantior. Hic enim parcit liberius loquenti, quo magis eum vexet, ille contra ut partibus victis sit bona spes salutis.

Re igitur ab omni parte considerata non dubito fidem historicam huic loco de Cilnio abiudicare, eumque in commentorum poëticorum censum referre.

Antequam ad alia transeo, libet mihi lectorum animos advertere ad locum unum in Cilnii narratione, scil. vs. 45. 46.

Ter centum exsiliere duces: quocunque liberet
Uno non pavidus rexisses bella ministro.

Similia agnoscimus apud Livium [3]): „quorum (scil. Fabiorum) neminem ducem sperneres", et apud Ovidium [4]):

1) De hac re cf. II, 327 sqq.
2) II, 511 sqq.
3) II, 49.
4) Fast. II, 199, 200.

Egreditur castris miles generosus ab isdem,
E quibus dux fieri quilibet aptus erat.

Quis dubitabit, quin Silius aut utrumque horum, aut alterutrum locum ante oculos habuerit?

Apud Livium [1]) legimus Dictatoris iussu Decemviros libros Sibyllinos adiisse et rettulisse inter reliqua sacrificia et supplicationem habendam esse, et paulo infra [2]): „supplicatum iere cum coniugibus ac liberis non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publica quoque contigisset cura."

Hanc occasionem captavit Silius ad inserendum carmini suo Episodium illud primum ab Homero fictum, deinde ab omnibus fere poëtis epicis tritum. Ornatum narrationis petivit poëta ex Homero. Iliad. Z. 269—312, Vergil. Aen. I. 479 sqq. et XI. 477 sqq. [3]).

Summo discrimine rerum coactae matronae Romanae adeunt Capitolium, ut Iunonem, deam unam omnium Romanis infestissimam, peplo dato, mitigent sibique concilient.

Simili modo Troianae mulieres apud Homerum Vergiliumque Minervam iratam placare student. Ex utroque, ut plerumque factum est, Silius hausit materiam suam, quod comparatio nos docebit.

Sil. VII. 75:

Maesto suffusae lumina vultu
Femineus matres graditur chorus; ordine longo
Iunoni pallam conceptaque vota dicabant.

---

1) XXII, 9, 10.
2) XXII, 10, 8.
3) Statius quoque Theb. X, 49—69 similem rem tradit.

Verg. Aen. I. 480.

> Crinibus Iliades passis peplumque ferebant
> Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis.

Sil. VII. 83.

> — — Si pellere nostris
> Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro
> Pressa tibi varia fulgebit gemma corona.

Hom. Iliad. Z 274.

> *καὶ Fοι ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ*
> *ἤνις ἠκέστας ἱερευσέμεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ*
> *Fάστυ τε καὶ* Τρώων *ἀλόχους καὶ νήπια τέκνα,*
> *αἴ κεν* Τυδέος *υἱὸν ἀπόσχῃ Fιλίου ἱρῆς.*

Recte animadvertit Teuffel [1]): „Der Verfasser ist bemüht die herkömmlichen epischen Requisiten möglichst vollständig seinem Werke einzuverleihen." Cuius rei vestigia passim occurrunt, ut III. 222 sqq. ubi habet *κατάλογον*. V. 667 sqq. *μάχην παραποτάμιον*. XVI. 277 sqq. *ἄθλα*. etc.

Heynacherus ad hunc locum annotat (Progr. c. 5 § 5): „Von den Liv. XXII. 10 erwähnten Sühnen, ver sacrum und lectisternium, berichtet Sil. nichts, dagegen erzählt er VII. 73 dass ein Chor Frauen in den Tempel der Iuno zog, ihr einen kostbaren Mantel zu überreichen. Ferner wurden Minerva, Apollo, Mars, Venus mit geziemender Gabe geehrt." Quod huic discrepantiae vel tantulam vim tribuit, non possum non mirari. Omnino, ut semper fere, oblitus esse vide-

---

1) Gesch. d. röm. Lit. 320.

tur, Silium poëtam esse, resque a Livio secundum fidem historicam narratas, poëtarum more, exemplisque ab Homero Vergilioque desumptis, exornasse, amplificasse atque in maius auxisse. Quid porro plurium deorum commemoratio ad sententiam confirmandam prosit, non assequor. Quasi Silius hunc numerum apud veterem illum, quem somniat Heynacherus, annalium scriptorem invenerit, ac non potius, omnia amplificandi studio inductus ascripserit. Denique, ut supra demonstravi, similitudo inter Silium laudatosque Homeri et Vergilii locos maior est, quam ut ulla ratione hoc loco de alio fonte, eoque Romano, cogitare possimus.

Vss. 88, 89 legitur:

> Tanta adeo, quum res trepidae, reverentia Divum
> Nascitur.

Hos versus scribenti Silio fortasse obversata est Camilli oratio apud Livium [1]), in qua legimus: „Adversae res admonuerunt religionum" et Liv. XXV. 1. 6 „quod diutius trahebatur bellum, et variabant secundae adversaeque res non fortunam magis quam animos hominum, tanta religio et ea magna ex parte externa civitatem incessit, ut aut homines aut Dii repente alii viderentur facti".

Sil. VII. 90.

> Dum Roma antiquos templis indicat honores,
> Iam Fabius, tacito procedens agmine. etc.

Cf. contra Liv. XXII. 9—11, qui narrat Fabium primum

---

1) V. 51. 8.

omnium ipsum rebus divinis operam dedisse, atque his peractis demum de bello rettulisse, et Polyb. III. 88. 7 *ἐν ᾧ καιρῷ καὶ Φάβιος μετὰ τὴν κατάστασιν θύσας τοῖς θεοῖς ἐξώρμησε. κ. τ. λ.* [1]).

Hic, ut saepius, discrepat Silius a Livio haud ita multum, quod fortasse cum Bauero [2]) sic explicandum est, poëtam interdum de industria in rebus narrandis a Livio recedere, ne meras versificatoris partes agat. Quoquo modo res se habet, qui in tantulis discrepantiis antiquissimae historiae vestigia agnoscere sibi videtur, summae audaciae incusandus est [3]).

Vss. 96—130 narratur Fabium haud procul hostium castris castra posuisse, Hannibalemque verbis animi ardoris plenis militum animos ad pugnam accendisse (vss. 95—122); Fabium vero invitis militibus suis in castris se continuisse, neque copiam sui Hannibali fecisse (vss. 122—130). Poëtam in his quoque Livium ante oculos habuisse paucis verbis demonstrari potest.

---

1) Plutarchus, qui Cobeto iudice (Mnem. vol. VI. p. 159) solum Livium in Fabii vita habebat auctorem et testem, rem eodem modo tradit (cap. 5).

2) P. 22. 39.

3) Sequentibus versibus Interpretes errare mihi videntur, verba:

Vs. 94. — — Summumque decus, quo tollis ad astra
Imperii, Romane, caput, parere docebat, sic explicantes: Summum decus — caput, dictatura, hoc est dictator; vel potius ipse Fabius. Immo vero parere appositionis loco cum summum decus coniunctum est, ut hoc dicere poëta velit: Fabius docebat, i. e. assuefaciebat Romanos parere, i. e. disciplinae militaris, quae semper exercitibus Romanis summo decori honorique, causaque imperii Romani fuerat. His verbis expressit poëta verba Liviana XXII. 12. 8, ex quibus, quid significent, optime intelligatur: „Castris nisi quantum usus necessarii cogerent, tenebatur miles."

Sil. VII. 96.

Verum ubi prima satis conspecta in montibus altis
Signa procul, fulsitque novis exercitus armis,
Arrectae spes Sidoniae, fervetque secundis
Fortunae iuvenis.

Liv. XXII. 12. 3. Quo primum die haud procul Arpis in conspectu hostium posuit castra, nulla mora facta, quin Poenus educeret in aciem copiamque pugnandi faceret.

Sil. VII. 116.

— — Volucri rapit agmina cursu
Ac praevectus equo, nunc dextra provocat hostem,
Nunc voce increpitat.

et paulo infra vs. 123.

Cassarum sedet irarum spectator, et alti
Celsus colle iugi domat exsultantia corda
Infractasque minas dilato Marte fatigat
Sollers cunctandi Fabius.

Liv. XXII. 12. 4. Sed ubi quieta apud hostes omnia, nec castra ullo tumultu mota videt, increpans quidem, victos tandem illos Martios animos Romanos — in castra rediit.

Cum vss. 123 sqq. recte Wezelius [1]) comparat Polyb. III. 89. 2 *ὁ γὰρ Φάβιος διεγνωκώς μήτε παραβάλλεσθαι μήτε διακινδυνεύειν, στοχάζεσθαι δὲ πρῶτον καὶ μάλιστα τῆς ἀσΦαλείας τῶν ὑποταττομένων, ἔμενε βεβαίως ἐπὶ τῆς διαλήψεως ταύτης.* Non sine veritatis specie affirmari potest, Silium hoc loco Polybium ante oculos habuisse.

---

1) De Silii It. cum font. tum Ex. p. 74.

Ad rem bene intelligendam, hoc loco observetur Silium has res, contra quam Livium et Polybium, qui in Apulia eas gestas tradunt, in Campaniam transtulisse. Quod ita esse patet e libro VI. 643 sqq.

— — Colles Umbros atque arva petebat
Hannibal, excelso summi qua vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder, atque ubi latis
Proiecta in campis nebulas exhalat inertes,
Et sedet ingentem pascens Mevania taurum,
Dona Iovi: tum Palladios se fundit in agros
Picenum dives praedae, atque errantibus armis,
Quo spolia invitant, transfert populantia signa;
Donec pestiferos mitis Campania cursus
Tardavit, bellumque sinu indefensa recepit.

Hannibalem ex Campania tunc iam in Apuliam transisse nusquam narratur. Attamen a me impetrare non possum, ut credam, poëtam tam longe a fide historica recessisse. Fieri potest, ut Silius negligentia quadam oblitus sit huius rei mentionem facere. Saepius enim [1]) connexu rerum neglecto in mediam rem nos abripit. Quod fortasse et hoc loco factum est [2]).

Duae praecipue res sententiam meam fulcire videntur.

---

1) Cf. VII. 376 sqq. Postquam Hannibal dictatorem elusit, „in patulos exsultans emicat agros" (Liv. XXII. 17. 7 in agro Allifano posuit castra). Inde quo pervenerit, non narratur. Livius nos docet, eum per Samnium Romam petere simulantem, in Paelignos populabundum rediisse, atque deinde ex Paelignis itinere flexo Apuliaque repetita Gereonium pervenisse, ibique res sequentibus versibus narratas gestas esse.

2) Cf. Mommsen, Röm. Gesch. Ed. III. Berol. 1861, vol. I, p. 594. Peter Gesch. Roms. I, p. 358.

I°. vs. 131 legitur:

Irritus incepti movet inde — —

Unde? Num e Campania, quae regio postremum priore libro vs. 651, i. e. ducentis versibus ante, nominatim appellata est? Immo vero, loco, quo ipse in Fabii conspectu castra habuerat, qui locus, Livio [1]) si fidem habemus, Arpi, si Polybio [2]) Aecae erant, sed, sive hoc mavis sive illud, utique in Apulia.

II°. vs. 131 sqq. legitur:

— — atque Apula tardo
Arva Libys passu legit, ac nunc valle residit
Conditus occulta, si praecipitare sequentem
Atque inopinata detur circumdare fraude.

Haec optime quadrant cum Liv. XXII. 12. 8. Fabius per alta loca agmen ducebat modico ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum neque congrederetur.

Deinde quae sequuntur vss. 135 sqq.:

Nunc nocturna parat caecae celantibus umbris
Furta viae, retroque abitum fictosque timores
Adsimulat; nunc castra citus deserta relicta
Ostentat praeda, atque invitat prodigus hostem,

respondent Liv. XXII. 12. 6: Temptare animum (scil. Fabii) movendo crebro castra populandoque in oculis eius agros sociorum coepit; et modo citato agmine ex conspectu abibat,

1) XXII. 12.
2) III. 88. 9.

modo repente in aliquo flexu viae, si excipere degressum in aequum posset, occultus subsistebat.

Possis etiam conferre Sil. VII. 123

— — et alti
Celsus colle iugi domat exsultantia corda,

cum Liv. XXII. 12. 8: Fabius per alta loca agmen ducebat. Videmus loci naturam ab utroque similiter depingi. Quid contra Heynacherus? In Programmate c. 5 § 6 legimus: „Hannibal sucht den Fabius durch alle möglichen Listen zu einer Schlacht zu reizen. Als es ihm nicht gelingt, (Sil. VII. 130) geht er noch Apulien; das römische Heer folgt ihm mit der grössten Vorsicht."

Ponit igitur, quod haud sine veri similitudine, opinor, falsum esse demonstravi, in Campania frustra Hannibalem dictatorem ad pugnam elicuisse, idque facit fretus auctoritate versuum supra laudatorum VI. 643 sqq. Ad hos versus haec annotat [1]): „Sil. V. 640 giebt eine andere Marschroute des Hannibal an, als Livius XXII. 9 auf Caelius ruhend, und Polyb. III. 88. Nach Silius geht Hannibal von Umbrien, Mevania und Tuder berührend, über Picenum direct nach Campanien, nach Livius und Polybios nach Apulien [2]). Sicherlich is die Glaubwürdigkeit des Polybios und Livius höher als die des Silius. Aber so viel steht fest, die von Silius angegebene Marschroute ist nicht Werk der Phantasie, son-

1) Progr. c. 5 § 3.

2) Zonaras VII. 28 describit Hannibalis iter eodem modo quo Silius. Huius auctoritas, opinor, omni pretio caret. Cf. Wijnne, Quaestiones criticae de belli Punici II parte priori. Gron. 1848 p. 97: „Ipsum iter Zonaras quoque, loco minus apto, tradit."

dern Angabe einer alten römischen Quelle, die die Route Hannibal's nicht genau kannte, sie eine Zeit lang aus dem Auge verlor, und Hannibal's Spur erst in Campanien wieder entdeckte."

Quem veterem illum fontem Romanum fuisse censeat, non addidit. Num Fabium Pictorem, quem in omnibus rebus Fabianis potissimum Silii auctorem fuisse, ubique probare contendit? Quem hoc loco appellare cur Heynacherus dubitaverit, facillime intelligi potest. An credibile est, Pictorem, et rebus narratis aequalem, et ipsius Cunctatoris propinquum, ita itineris ignarum fuisse, ut Hannibalem recta in Campaniam contendisse fingeret, quum ex historicis constet per Apuliam in Campaniam eum pervenisse?

Quae res poëtam induxerit ad iter Hannibalis, sicut fecit, describendum, nescire me fateor, nisi forte haec causa fuit, quod rebus sic narratis occasio sibi daretur, carmini inserendi episodium illud de templo Liternensi ab Hannibale combusto [1]). Deinde rerum ordine coactus, transeuntem eum in Apuliam fingit, unde frustra Fabio temptato, Romanis sequentibus in Campaniam redit (vss. 157. 158).

Mirum erat, si in rebus gestis narrandis alium quendam auctorem secutus, Livii contra verba imitatus esset; quod eum fecisse, supra pluribus exemplis probare conatus sum. Disquisitionis ergo summa haec est, persuasum mihi esse, Silium per negligentiam ex uno Hannibalis itinere per Apuliam in Campaniam duo fecisse, cui errori, in poëta minime acriter castigando, immerito fidem quandam historicam tribuerit Heynacherus.

---

1) Sil. VI. 653—716.

Ex Apulia in Campaniam profectus, primum in agrum Falernum pervenit (vs. 159), qui quum vini unius omnium generosissimi fama floreret, occasione oblata poëta uti potuit ad rerum gestarum narrationem more suo digressione mythologica distinguendam. Quid enim magis consentaneum erat, quam ut et ipse loca illa, ab omnibus fere poëtis Latinis magnificis verbis celebrata [1]), mentione haud indigna aestimaret. Sequitur locus de vini in Campania culturae origine (vss. 162—211):

Aureo aevo Falernus quidam haec loca habitabat, apud quem Bacchus, humana forma indutus, devertit. Deus ab homine paupere neque tamen inhospitali summa benignitate excipitur, cuius rei ut dignam gratiam referret, vitis munere eum donat.

Unde huius narrationis et materiam et formam sibi sumpserit, nemo non extemplo intelligit. Fabula notissima est, quam commemorant Apollodorus, et ex Romanis Tibullus et Hyginus.

Apollodorus I. 8. 1 *Οἰνεὺς δὲ, βασιλεύων Καλυδῶνος, παρὰ Διονύσου φυτὸν ἀμπέλου πρῶτος ἔλαβε.*

Id. III. 14. 7 *ἐφ' οὗ* (scil. Pandionis) *Δημήτηρ καὶ Διόνυσος εἰς τὴν Ἀττικὴν ἦλθον. ἀλλὰ Δήμητρα μὲν Κελεὸς εἰς τὴν Ἐλευσῖνα ὑπεδέξατο, Διόνυσον δ' Ἰκάριος, καὶ λαμβάνει παρ' αὐτοῦ κλῆμα ἀμπέλου.*

---

1) Ut ex immensa locorum copia paucos afferam, vide: Catull. 27. Tibull. I. 9; II. 1; III. 6; Propert. III. 33; V. 6, Horat. Carm. I. 20; id. 27; II. 3; Epp. 4, Satyr. I. 10; II. 2 etc. Epist. I. 14, et alibi passim. Cf. et Athen. I. 21, Plin. Hist. Nat. III. 9; XIV. 8.

Hyginus fab. 129: Oeneo autem ob hospitium liberale vitem dedit, monstravitque, quomodo sereret.

Fab. 130: (Liber) ad Icarium et Erigonam in hospitium liberale devenit. Iis utrem plenum vini muneri dedit, iussitque, ut in reliquas terras propagarent.

Tibullus, ad eandem rem alludens, IV. 1. 9, 10:

— — et cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus.

Drakenborchius cum Silio conferri iubet Achillem Tatium, de amore Clitophontis et Leucippes II. pag. 67, quo teste idem apud se accidisse Tyrii contendunt. Nunc id agitur, utrum inter Romanos quoque eiusmodi fabula olim circumlata sit, an ex ingenio Silii ad carmen exornandum exstiterit. Pro certo hoc affirmare nolim, quum praesertim nullum hac de re testimonium apud ullum alium scriptorem occurrat, quamquam minime negligi oportet, poëtam ipsum diu in Campania vixisse, ibique fortasse fabulam hanc ex ore populi excepisse.

Longe facilius est reperire, unde formam, qua in hac re narranda usus est, desumpserit. Conferamus cum Silio Ovid. Metamm. VIII. 626 sqq., notissimam Philemonis Baucidisque historiam et Fast. V. 495 sqq. de Iove, Neptuno et Mercurio apud senem Hyrieum devertentibus.

Sil. VII. 173:

Nec pigitum parvosque lares humilisque subire
Limina caelicolam tecti. Cepere volentem
Fumosi postes — —

Ovid. Metamm. VIII. 629:

— — Tamen una recepit
Parva quidem, stipulis et canna tecta palustri.

Fast. V. 505:

Tecta senis subeunt nigro deformia fumo.

Sil. VII. 179:

Donec opes festas puris nunc poma canistris
Composuit, nunc irriguis citus extulit hortis
Rorantes humore dapes: tum lacte favisque
Distinxit dulces epulas, — —

Metamm. VIII. 646:

Quodque suus coniunx riguo collegerat horto
Truncat holus foliis.

664. Ponitur hic bicolor sincerae baca Minervae,
Intibaque et radix, et lactis massa coacti,
Ovaque non acri leviter versata favilla:
Omnia fictilibus — — — — — —

674. Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,
Prunaque et in patulis redolentia mala canistris
Et de purpureis collectae vitibus uvae.
Candidus in medio favus est.

Sil. VII. 188:

Fagina [1]) pampineo spumarunt pocula suco.

Ovid. Metamm. VIII. 669:

Sistitur argento crater, fabricataque fago
Pocula.

Alteram hanc quaestionis partem, de Ovidio hoc loco Silii auctore, ante me iam Wezelius [2]) tractavit.

1) Cf. et Tibull. I. 10, 8: Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
2) p. 87.

His rebus narratis ad veram historiam redit poëta. Postquam supra iam (vs. 159—161) narravit, Hannibalem agrum Falernum ferro ignique vastare, ita pergit:

212. Haec tum vasta dabat, terrisque infestus agebat
Hannibal, et sicci stimulabant sanguinis enses,
Ludificante ducem Fabio. Iamque improba castris
Ausoniis vota, et pugnandi prava libido
Gliscebat; proni decurrere monte parabant.

His verbis expressa sunt quae leguntur apud Liv. XXII. 14. 1 „Ut vero, postquam ad Vulturnum flumen castra sunt posita, exurebatur amoenissimus Italiae ager villaeque passim incendiis fumabant per iuga Massici montis Fabio ducente, tum prope de integro seditione accensi".

Apud Livium vulgi existimatio exprimitur tumultuosa oratione Minucii, magistri Equitum [1]). Eam orationem Silius non commemorat, contentus paucis verbis fremitum in castris Romanis indicare. Apud poëtam contra legimus orationem Fabii, verbis gravitatis plenis criminationes in se allatas repellentis [2]).

Quod Silius Fabium potius loquentem introduxit, putat Heynacherus [3]), poëtam dictatori magis quam magistro Equitum favisse et paulo infra dicit: „Diese Erzählung der Fabischen Dictatur weist auf Fabius Pictor als Quelle". Rectissime Bauerus [4]) Heynacheri argumenta diluit: monet enim (ut

1) XXII. 14, 4 sqq.
2) VII. 219—252.
3) Progr. c. 5 § 7.
3) P. 13.

iam supra memoravi) Silium saepius aut, ubi apud Livium oratio legatur, eam omisisse, aut ubi ille non habeat, de suo finxisse, ne in omnibus rebus ab eo pendere videretur. Porro, quod haud levioris momenti est ad argumentum illud redarguendum, citat Peteri testimonium [1]), qui demonstrat, nullum scriptorem ante Coelium Antipatrum, quem adhibuisse Silium Heynacherus non uno loco vehementissime negat, historiam orationibus ficticiis exornasse.

Silium autem fere semper, etiam ubi ab eo discrepet, Livium ante oculos habuisse oratio Fabii docet, apud Silium tradita, quod si Bauero in mentem venisset, non dubito quin ascripsisset. Conferas modo hos locos Silii et Livii, qui, etsi aliis verbis, eadem cogitata continent.

Sil. VII. 233:

Una, ut debellet, satis est victoria Poeno.
241. Fortunae Libys incumbit, flatuque secundo
Fidit agens puppim.

Liv. XXII. 25. 12 (ubi Fabius Romae in senatu de suo pugnandi modo rationem reddit). — „cum hostem verbis extolleret" —

Sil. VII. 226:

Si lucis piget, et supremis esse cupido est
Nominis Ausonii — —
— — revocandus ab atris
Flaminius vobis est sedibus: ille ruendi
Iam dudum properans signum auspiciumque dedisset.

---

1) Peter, Zur Kritik der Quellen der älteren römischen Geschichte. S. 52.

Liv. XXII. 25. 12 „Cum bienni clades per temeritatem atque inscientiam ducum acceptas referret".

Sil. VII. 223:

Stat pensata diu belli sententia, vincam
Servare invitos.
239. Magnum illud solisque datum, quos mitis euntes
Iupiter adspexit, magnum est, ex hoste reverti.

Liv. XXII. 25. 15 „In tempore et sine ignominia servasse exercitum quam multa milia hostium occidisse maiorem gloriam esse".

Suo iure, opinor, comparat Wezelius [1]) praeeunte Mureto [2]) versus Silii:

219. Fervida si nobis corda, abruptumque putassent
Ingenium patres, et si clamoribus, inquit,
Turbari facilem mentem; non ultima rerum
Et deplorati mandassent Martis habenas.

cum Cic. pro C. Rabirio c. 6 „Nihil me clamor iste commovet, sed consolatur, quum indicat, esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Nunquam, mihi credite, populus Romanus, hic, qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur [3])".

---

1) P. 57. 58.

2) Variae lectiones. II. 14.

3) Praeterea censet Wezelius (p. 34. 35) ad hunc locum spectare versus Ennianos 297 sqq.

— — Multa dies in bello conficit unus:
Et rursus multae fortunae forte recumbunt:
Haudquaquam quemquam semper fortuna secuta est.

Nescio an recte eiusmodi inconstantia fortunae in quavis alia re locum habere possit. Mecum facit Vahlenius, qui huius fragmenti occasionem velle indicare esse hariolari dicit.

In sequentibus Silii Liviique narrationes plane in diversas partes discedunt.

Sil. VII. 253:

His dictis [Fabii] fractus furor, et rabida arma quierunt.

Liv. XXII. 14. 15 „Si militaris suffragii res esset, haud dubie ferebant Minucium Fabio duci praelaturos".

Verum enim vero nolim ego hic cogitare de alio Fabii studioso auctore. Ex ipsa re, quod pro Minucio Fabium hic loquentem induxit Silius, explicanda est differentia, cui tantum momenti tribuit Heynacherus. Quodsi apud Silium eventus rei idem fuisset, qui apud Livium, verba dictatoris gravissima prorsus irrita fuissent. Et hoc loco igitur, ut saepe alias, veritatem historicam ornatui poëtico condonavit.

Hannibal Fabii invidia cognita cupiens infamiam eius apud milites augere, descendit ad fraudem Punica fide dignam.

Sil. VII. 260:

— — fraudisque veneno
Adgreditur mentes. Pauca atque haec ruris aviti
Iugera, nec multis Fabius vertebat aratris;
Massicus uviferis addebat nomina glebis.
Hinc pestem placitum moliri, et spargere causas
In castra ambiguas. Ferro flammisque pepercit,
Suspectamque loco pacem dedit arte maligna,
Ceu clandestino traheretur foedere bellum.

Liv. XXII. 23. 4 „Accesserunt duae res ad augendam invidiam dictatoris, una fraude ac dolo Hannibalis, quod, cum a perfugis ei monstratus ager dictatoris esset, omnibus circa solo aequatis ab uno eo ferrum ignemque et vim

omnem hostilem abstineri iussit, ut occulti alicuius pacti ea merces videri posset" [1]).

Quid Heynacherus? Audiamus ipsum [2]): „Silius VII. 260 sqq. schont Hannibal das Landgut des Fabius auf dem Massischen Berge, während er alles ringsumher verwüstet. Liv. XXII. 23 erwähnt dies Factum auch, ebenso Plutarch. Fabius 7. Letztere sagen aber nichts von der Lage des Gutes, nicht, dass es Weinpflanzung war. Diese grössere Genauigkeit beweist wieder, dass Silius dem Livius nicht direct gefolgt sein kann."

Est nobis proverbium: „qui nimium vult comprobare, comprobat nihil", quod, si usquam, hic profecto valet. Viri doctissimi vitium est, quod qualibet ratione, ut Silius inter fontes belli Punici secundi numeretur, efficere velit, quoque haec opinio probetur, ne minutissimas quidem res contemnat, quae, ut arbitratur, huic studio prodesse possint.

Ut ostendam hanc rationem minus rectam esse, nil ultra opus est, credo, quam ut verba Siliana et Liviana inter se conferam.

Silius.	Livius.
260. — — fraudisque veneno Adgreditur mentes.	Una fraude ac dolo Hannibalis.
265. — ferro flammisque pepercit.	Omnibus circa solo aequatis ab uno eo ferrum ignemque et omnem vim hostilem abstineri iussit.
267. Ceu clandestino traheretur foedere bellum.	Ut occulti alicuius pacti ea merces videri posset.

1) Cf. etiam. Valer. Max. III. 3. 8. Plutarchus, Fab. Max. c. 7.
2) Progr. c. 5 § 8.

Num credibile est, Silium, si non Livium sed alium quem piam auctorem habuisset, iisdem fere quibus Livium verbis usurum fuisse? Restat, ut paucis verbis Heynacheri argumentum de accurata, quam dicit, Fabii praedii descriptione redarguam. Quod unde succurrerit ei, non assequor. Ex praecedentibus satis superque apparet, notitiam illam locorum (ut nobis Heynacherus persuadère vult) nonnisi phantasma poëticum esse. Conferas eiusdem libri vss. 162—211, quibus vitis culturae in Campania originem magnificis verbis celebravit, atque ita lectorum animos in eam rem praecipue direxit. Quid igitur mirum, si in hac regione Fabii praedium collocavit vitibusque illud consitum finxit? Apud historiae scriptores de praedii Fabii situ nihil constat. Poëtarum vero est, ut iam vidimus saepiusque videbimus, omnia alioquin incerta certis personis locisque assignare. Quo fit, opinor, ut arguta Heynacheri coniectura non minus ficta esse videatur quam ipsa Silii de vitifero illo agro narratio.

Fabius, Hannibalis dolorum sibi conscius, a proposita ratione non deterretur: trahit bellum, castraque huc illuc movet, donec tandem hostes includat. (vss. 268—281).

Brevibus verbis poëta complectitur accuratam Livii narrationem, qui factum sit, ut Hannibal in insidias inciderit. Nihilo secius loci descriptio apud Silium eadem est, quae apud Livium.

Sil. VII. 274:

Qua nemorosa iuga et scopulosi vertice colles
Exsurgunt, clausit sparsa ad divortia turma.
Hinc Laestrygoniae saxoso monte premebant
A tergo rupes, undosis squalida terris
Hinc Literna palus: — —.

Liv. XXII. 16. 4 „Inclusus inde videri Hannibal via ad Casilinum obsessa, cum Capua et Samnium et tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret, Poenus inter Formiana saxa ac Literni harenas stagnaque et per horridas [1]) silvas hibernaturus esset".

Omnia conveniunt: Nemorosa iuga apud Silium sunt perhorridae silvae apud Livium. Squalida Literna palus = Literni harenae stagnaque. Nec non Laestrygonias rupes et Formiana saxa eadem esse [2]), intelligitur ex Cicerone, Epist. ad Atticum II. 13: „Si vero in hanc Τηλέπυλον Veneris Λαιστρυγονίην — Formias dico — etc."

Plura addere nil opus est; ipsa verba pro se loquuntur. Hannibal extrema inopia coactus, consilium capit dolo hostes frustrandi. Hanc rem, nudis verbis a Livio narratam (XXII. 16), epico vestitu amicuit poëta, quem apparatum suggerebant ei Homerus et Vergilius.

Sil. VII. 212:

Cuncta per et terras et lati stagna profundi
Condiderat somnus — —
At non Sidonium curis flagrantia corda
Ductorem vigilesque metus haurire sinebant
Dona soporiferae noctis.

Fieri non potest quin haec legenti statim in mentem veniat versuum Homericorum:

---

1) Ex emendatione Madvigii: Emend. Liv. p. 293. Hauniae. 1877.

2) Cf. etiam Hor. Carm. III. 16. 34. Ovid. Metam. XIV. 233 sqq. Plin. Hist. Nat. III. 9.

Iliad. B. 1:

ἄλλοι μὲν ῥα θεοὶ τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
εὗδον παννυχίοι, Διὰ δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος,
ἀλλ' ὅ γε μερμήριζε κατὰ φρένα. κ. τ. λ.

vel. Iliad. K. 1:

ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
εὗδον παννυχίοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ·
ἀλλ' οὐκ Ατρείδην Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

vel. Verg. Aen. IV. 522:

Nox erat, et placidum carpebant fusa soporem
Corpora per terras — —
At non infelix animi Phoenissa, neque unquam
Solvitur in somnos oculisve aut pectore noctem
Accipit! ingeminant curae — —

Componere possim et Aen. VIII. 26 et IX. 224 sqq.; sed haec sufficiunt. In sequentibus epica vestigia manifestiora etiam sunt.

Sil. VII. 287:

— — nam membra cubili
Erigit et fulvi circumdat pelle leonis,
Qua super instratos proiectus gramine campi
Presserat ante toros. Tunc ad tentoria fratris
Fert gressus vicina citos; nec degener ille
Belligeri ritus, taurino membra iacebat
Effultus tergo, et mulcebat tristia somno.
Haud procul hasta viri terrae defixa propinquae,

Et dira e summa pendebat cuspide cassis:
At clipeus circa, loricaque, et ensis, et arcus,
Et telum Baleare simul tellure quiescunt.

Hom. Iliad. K. 21:

ὀρθωθεὶς δ' ἔνδυνε περὶ στήθεσσι χιτῶνα,
ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
ἀμφὶ δ' ἔπειτα δαφοινὸν ἐΓέσσατο δέρμα λέοντος,
αἴθωνος μεγάλοιο ποδηνεκὲς, εἵλετο δ' ἔγχος.

et paulo infra. 73:

αὖταρ ὃ βῆ ῥ' ἰέναι μετὰ Νέστορα, ποιμένα λαῶν.
τὸν δ' εὗρεν παρὰ τε κλισίῃ καὶ νηὶ μελαίνῃ
εὐνῇ ἐνὶ μαλακῇ· παρὰ δ' ἔντεα ποικίλ' ἔκειτο,
ἀσπὶς καὶ δύο δοῦρε φαεινή τε τρυφάλεια.

Praeterea legimus Verg. Aen. VII. 94:

Atque harum [ovium] effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus.

et Aen. VIII. 367:

— — Stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursae [1]).

Sil. VII. 298:

Iuxta lecta manus, iuvenes in Marte probati.

Hom. Iliad. K. 151:

— — ἀμφὶ δ' ἑταῖροι
εὗδον — —

1) Cf. etiam. Hom. Iliad. K. 155. Odyss. τ. 2. Hymn. in Venerem. 158 sqq.

Quo omnia vividioribus coloribus lectorum oculis animisque obversarentur, facit poëta Hannibalem consilium suum cum Magone communicantem. Ceterum et verba et cogitata cum Livianis congruunt.

Sil. VII. 311:

— — Latos correpta per agros
Armenta adsueto belli de more sequuntur.
Cornibus arentes edicam innectere ramos,
Sarmentique leves fronti religare maniplos.

Liv. XXII. 16. 7 „Fallacis consilii talis apparatus fuit: faces undique ex agris collectae fascesque virgarum atque aridi sarmenti praeligantur [1]) cornibus boum, quos domitos indomitosque multos inter ceteram agrestem praedam agebat"

Vs. 351 ita pergit:

— — Rapida iam subdita peste
Virgulta, atque altis surgunt e cornibus ignes.
Hic vero ut, gliscente malo et quassantibus aegra
Armentis capita, adiutae pinguescere flammae
Coepere, et vincens fumos erumpere vertex:
Per colles dumosque, (lues agit atra) per altos
Saxosi scopulos montis lymphata feruntur
Corpora anhela boum, atque obsessis naribus igni
Luctantur frustra rabidi mugire iuvenci.
Per iuga, per valles errat Vulcania pestis,
Nusquam stante malo, vicinaque litora fulgent.

et Liv. XXII. 17. 1 „Ubi ad radices montium viasque angustas

---

1) In his verbis sequor Madvigii lectionem.

ventum est, signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes, et metus ipse relucentis flammae ex capite calorque iam ad vivum ad imaque cornuum adveniens velut stimulatos furore [Sil. lymphata] agebat boves. Quo repente discursu haud secus quam silvis montibusque accensis omnia circum virgulta visa ardere".

Sil. VII. 367:

At facie subita volitantum montibus altis
Flammarum, quis tunc cecidit custodia sorti
Horrere — —

375. Iamque abeunt; faucesque viae citus occupat armis
Poenus, et in patulos exsultans emicat agros.

Liv. XXII. 17. 4 „Qui ad transitum saltus insidendum locati erant, ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexere, circumventos se esse rati praesidio excessere. Et primo cum procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt; deinde, ut humana apparuit fraus, tum vero insidias rati esse, cum maiore tumultu concitant se in fugam. 7. Interea toto agmine Hannibal transducto per saltum et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis in agro Allifano castra posuit".

Facile intelligitur, et Livium et Silium rationem, qua Hannibal Fabio verba dederit, paucis admodum exceptis eodem modo narrare. Eandem rem narrant Polybius III. 93. 94, Appianus Hannib. 14, Plutarchus Fab. Max. 6, Nepos. Hannibal. 5. (qui tamen hanc rem post Cannensem demum cladem locat), et similem rem de Aegirae, Achaicae urbis, incolis Pausanias Achaic. 26. Polybius a ceteris discrepat

in eo, quod custodes Romani apud eum non terga dant, sed incurrentibus hostibus obviam eunt.

Ne Heynacherus quidem Livium et Silium in his optime inter se congruere diffiteri potest, sed propositi tenax ne hic quidem Livium Silii fontem esse concedere vult, quoque evidentissimus consensus, qui inter utrumque intercedit, explicetur, utriusque communem fuisse auctorem, fortasse Valerium Antiatem, suspicatur. At quasi eum suppoeniteat vel huius concessionis, addit vestigia non deesse, quibus intelligamus, Silium non ipsum Livium secutum esse [1]).

I. Apud Livium Hannibal imperat Hasdrubali, ut boves agat, apud Silium Magoni.

Libet mihi disquirere, quatenus huic argumento ullum momentum tribuendum sit. Recte Bauerus [2]) et Schlichteisenius [3]) iudicaverunt, in Magonem egregie dicta factaque aliqua, aliis Poenis tribuenda, deferri, ut optimus dux, Hannibalis frater, magis emineat.

Haud mirandum igitur, quod poëta hoc loco Hannibalem rem summi momenti potius Magoni mandantem fingit, neque, ut Livius ac Polybius, Hasdrubali, homini, ceterum ignoto, atque, auctore Polybio [4]), praefecti fabrum munere fungenti.

Argumentum secundum pertinet ad tempus, quo Hanni-

---

1) Cosackius quoque ad hoc credendum inclinat, quem vide p. 25: „Manifesto alios auctores praeter Livium ante oculos habuit. p. 27: „Sic, cum Fabius dictator Hannibalem callidissime cinxisset, hic ad tentorium fratris Magonis, quocum liberandi consilium communicet, festinat. Livius contra itemque Polybius diserte eum ad Hasdrubalem iisse dicunt."

2) P. 12.

3) P. 56.

4) III. 93. 4. *τὸν ἐπὶ τῶν λειτουγῶν τεταγμένον Ἀσδρούβαν παρῄγγειλε. κ. τ. λ.*

balis consilium perfectum est. Apud Silium noctu Hannibal, omnibus dormientibus, consilium capit, apud Livium primis tenebris boves in montes aguntur. Ceterum hanc discrepantiam poëtae imputat, cuius ipsius rei, cum poëta, non cum historiae scriptore sibi rem esse, saepius obliviscitur.

Tertio animadvertit apud Silium mentionem fieri metus Hannibalis (vs. 285), quem nemo scriptor praeter Appianum memoriae tradidit, apud quem (Hannib. c. 14) legimus: Ἔδεισε μὲν ὡς οὔποτε πρότερον. Inde colligit, Silium eundem auctorem atque Appianum secutum esse, qui, si Heynachero fides habenda est, ex antiquo Annalium scriptore historiae materiam hauserit. Fieri potest, ut in hac re recte iudicaverit Heynacherus [1]).

Superest mihi redarguenda Wezelii opinio [2]). Utrum recte versus Ennianos 571:

— — Clamore bovantes

et 588: — — funduntque elatis naribus lucem

cum hoc loco Siliano coniunxerit, decernere nolim; sed constat mihi in errore eum esse arbitrantem Acherrae et Maraxis mentionem Livianae narrationis amplificationem esse. Persuasum mihi est apud nullum auctorem ea nomina eum legisse, sed harum personarum inductionem, quae, ut Barthii verbis utar, κωφὰ πρόσωπα aestimandae sunt, commentum poëticum esse. Quodsi quis putet, me sine causa, studio quodam contradicendi abreptum, hoc contendere, conferat, quaeso, Hom.

---

1) Cf. tamen Liv. XXII. 23. 3: quae (scil. cunctatio Fabii), ut Hannibalem non mediocri sollicitum cura habebat, etc.

2) P. 27.

Iliad. K. 73—179, quibus versibus narratur Agamemnonem et Nestorem adiisse Diomedem et Ulixem. Nominibus mutatis idem a Silio narratur. Fortasse etiam in describendis Maraxis Acherraeque [1]) ingenio et moribus, Homeri rationem habuit. Maraxes, vir ferocis ingenii, Diomedis partes agit; Acherram, „cui parca quies, minimumque soporis, nec notum somno noctes aequare", quemque equum foventem inveniebant, fieri potest ut respiciens Ulixem, callidissimum prudentissimumque omnium Graecorum, poëta ita descripserit. Quae quum ita sint, pro certo ponere non dubito, Silium in Hannibalis dolo narrando Livium secutum esse.

Sil. VII. 377:

> Huc tamen usque vigil praecesserat arte regendi
> Dictator, Trebiam et Tusci post stagna profundi,
> Esset ut Hannibali Fabium Romanaque tela
> Evasisse satis.

Quantopere Silius a Livio pendeat, ut eius verba reddat, etiam ubi eum non ad verbum sequatur, hic locus manifeste ostendit. Haec sententia enim quis dubitet, quin desumpta sit ex oratione Fabii ad Minucium (XXII. 18. 10): „haud parvam rem esse ab totiens victore hoste vinci desisse, ab continuis cladibus respirasse?" Deest in oratione, quae a Silio Fabio attribuitur, ut infra videbimus.

Castris in Larinate agro prope a Punicis positis, sacrorum

---

1) Nomen idem occurrit III. 299. Cf. Schlichteisen, p. 59. „Acherra idem valet atque Acherres, quod in indice regum Aegyptiorum ab Hieronymo relato exstat. (Cf. Eusebii Chronicon vol. I, append. p. 33)." p. 57. Maraxen dicit aeque atque Acherram *κωφὸν πρόσωπον* esse.

causa Fabius Romam proficiscitur. Antequam abit, monet Minucium, magistrum Equitum, ut in rebus gerendis suis potius quam decessorum vestigiis insistat. Apud utrumque, et Silium et Livium, legimus hanc orationem, apud hunc tamen brevioribus verbis. Saepius autem Silium videmus longiorem apud Livium orationem contraxisse, breviorem contra auxisse atque exornavisse. Nihilo secius utraque oratio ea est, ut facillime alteram ad alterius exemplum compositam esse perspiciamus.

Sil. VII. 381:

Nisi sacra vocarent ad patrios veneranda Deos.

Liv. XXII. 13. 8:

„Inde sacrorum causa Romam revocatus". etc.

Sil. VII. 395:

Interea (crede experto, non fallimus) aegris
Nil movisse salus rebus. — —

Liv. XXII. 18. 9 „Medicos quoque plus interdum quiete quam movendo atque agendo proficere".

Sil. VII. 396:

— — Sit gloria multis
Et placeat, quippe egregium, prosternere ferro
Hostem; sed Fabio sit vos servasse triumphus.

In eandem fere sententiam locutus erat Fabius, quum militum seditionem sedaret (vss. 223—225), quocum loco contuli [1]) verba Fabii ad senatum (Liv. XXII. 25): „in tempore et sine ignominia servasse exercitum quam multa milia hostium occidisse maiorem gloriam esse."

---

1) Vide p. 34.

Sil. VII. 405:

— — Sed si compescere corda
Non datur oranti, magno te iure pioque
Dictator capere arma veto.

Liv. XXII. 18. 8 „Non imperio modo, sed consilio etiam ac prope precibus agens cum Magistro Equitum" — —.

Sil. VII. 409:

Ecce autem flatu classis Phoenissa secundo
Litora Caietae, Laestrygoniosque recessus
Sulcabat rostris, portusque intrarat apertos.

Quid de hac classe cogitandum sit aliquantum dubito.

Dissentiunt viri docti. Rupertio videtur haec classis eadem esse, quam Polybius [1]) narrat primo in Sardiniam, ac deinde Pisas in Italia appulisse. Ernesti contra censet Silium hanc classem de suo finxisse, quo viam sibi muniret ad narrationem de Nereïdibus Proteum vatem adeuntibus. Quorum hunc acu rem tetigisse credo; quodsi poëta eam, quam Polybius memorat classem, significare voluisset, non erat, quod iter eius mutaret. Praeterea probabile non videtur, poëtam, qui numquam fere Polybium sequatur in magnarum rerum descriptione, hic in re tam parvi momenti hoc potissimum auctore usum esse.

Sil. VII. 413—~~392~~ legimus episodium splendidissinum doctrinaeque plenum, quo describitur, ut Nymphae, Punicae classis adventu perterritae, confugerint ad Proteum petitum, quem tandem finem habiturum sit atrox illud bellum inter

1) III. 96.

Romanos et Carthaginienses. Copiose de hac egressione poëtica disserere a proposito meo alienum credo: hoc tantum annotare volo, materiam, ut Ruperti, Ernesti, omnesque alii Silii editores iamdudum viderunt, desumptam esse et e Verg. Georg. IV. 387—529 et ex Hom. Odyss. δ. 384. sqq.

Retexitur narrationis filum, a versu 409 abruptum.

Vs. 494. Minucius absente dictatore confligit cum hoste, qui, quo magis eum ad depugnandum eliciat, fugam simulat. Hoc loco re vera Silius abhorret a Livio et Polybio, narrat Hannibalem tantum fugam simulavisse, quum uterque historicus narrat victoriam quamvis parvam a Romanis reportatam esse [1]). Neque tamen ideo recte iudicat Heynacherus [2]) Silium unam tantum Minucii pugnam memoravisse, eamque, quae Fabii interventu dirempta sit. Concedo quidem rem, sicut a Silio narratur, descriptioni Livianae minime respondere, sed omnino nullam mentionem rei factam esse, non possum quin negem. De industria, opinor, momentum victoriae a Minucio reportatae detrectavit, quemadmodum alibi, ut saepius iam vidimus, res gestas auxit et amplificavit, quo magis eluceret Fabii virtus, postea Magistro Equitum ab hostibus circumvento auxilium ferentis. Recte quidem observat Heynacherus omnia circum Fabium versari, sed huius rei causam cum eo quaerere in fonte Fabiano, probabile mihi non videtur.

Meum iudicium his verbis complector: Fuga simulata Hannibalis apud Silium, et victoria Minucii, quam narrant

---

1) Cf. Liv. XXII. 23. 3 „postquam absente eo [i. e. Fabio] temeritate magistri Equitum laeto verius dixerim, quam prospero eventu pugnatum fuerat."

2) Progr. c. 5 § 11.

Livius XXII. 24, Polybius III. 101. 102, una atque eadem res est. Discrepantia originem trahit e studio poëtae victoriae vim, quantum potest, minuendi.

Quae Livius XXII. 25—27. abundanter tradit, nonnisi strictim attingit poëta.

Sil. VII. 504:

Fama furit, versos hostes, Poenumque salutem
Invenisse fuga: — —

Liv. XXII. 24. 14 „Tamen in tam pari prope clade vanam famam egregiae victoriae cum vanioribus litteris Magistri Equitum Romam perlatam" — —.

Polyb. III. 103. 1 *οἱ δ' ἐν τῇ Ρώμῃ, προσπεσόντος σφίσι τοῦ γεγονότος μειζόνως ἢ κατὰ τὴν ἀλήθειαν, περιχαρεῖς ἦσαν.*

Iterum hic locus demonstrat, quam saepe de industria a Livio recedat poëta. Quemadmodum II. 321. Gestarem facit proferentem, quae Livius vulgi opinionem esse narrat, ita hoc loco, quae apud Liv. XXII. 25, M. Metilius tribunus Plebis dicit, vulgo tribuit, ut paucis exemplis illustrare me iuvat.

Sil. VII. 505:

— — Liceat si vincere, finem
Promitti cladum — —

Liv. XXII. 25. 9 „Tandem, ut abscesserit inde dictator, ut obsidione liberatus, extra vallum egressos fudisse ac fugasse hostes."

Sil. VII. 506:

— — Sed enim ditione carere
Virtutem, et poenas vincentibus esse repostas.

Liv. XXII. 25. 8 „Exercitum cupientem pugnare et Magistrum Equitum clausos prope intra vallum retentos, tanquam

hostibus captivis arma adempta. Ibid. 5: M. Minucium, Magistrum Equitum, ne hostem videret, ne quid rei bellicae gereret, prope in custodiam habitum."

Sil. VII. 508:

Clausurum iam castra ducem, rursusque referri
Vaginae iussurum enses, reddatur in armis
Ut ratio, et purget miles, cur vicerit hostem.

Haec desunt quidem in oratione Metilii, sed leguntur in oratione Fabii (XXII. 25. 13): „[cum] Magistro Equitum, quod contra dictum suum pugnasset, rationem diceret reddendam esse."

Pedetemptim igitur Livii vestigia sequi possumus. Quod narrat Silius (vss. 511. 512) Iunonem Patrum quoque mentes invidiae stimulo fodisse et popularibus auris, divino ornatu exuto agnoscimus apud Livium XXII. 25. 12. „[Fabius] ne in senatu quidem satis aequis auribus audiebatur." Fabii oratio deest apud Silium, sed singula fragmenta eius passim in aliis orationibus, sive ipsius sive aliorum offendimus, ut supra demonstravi.

Liv. XXII. 25. 10, narrat Metilium pronuntiavisse se rogationem promulgaturum de aequando Magistri Equitum et Dictatoris iure. Ibid. 18, „unum suasorem legis inventum esse C. Terentium Varronem"; quibus omnibus praetermissis sic reddit Silius:

VII. 515:

Dividitur miles, Fabioque equitumque magistro
Imperia aequantur penitus.

Ex his verbis haud ita multo negotio Metilii verba eruere possumus, quamquam hoc loco, ubi Silius Livianam narra-

tionem tantopere contraxit, similitudinem casu oriri potuisse negare nolo.

Sil. VII. 516:

— — Cernebat [1]), et expers
Irarum senior, magnas ne penderet alti
Erroris poenas patria inconsulta, timebat.

Haud scio an vss. 517. 518. scribens ante oculos habuerit Liv. XXII. 26. 7. „Satis fidens, haudquaquam cum imperii iure artem imperandi aequatam."

Fabius Gereonium ad exercitum redit (vs. 519), ibique in duas partes copiis divisis sua castra locat in colle propinquo. Differunt in hac re narranda inter se Livius et Polybius. Ille XXII. 27. narrat Minucium optimum duxisse aut diebus alternis, aut si maiora intervalla placerent, partitis temporibus alterius summum ius imperiumque esse; Q. Fabio contra id non placuisse atque obtinuisse, ut legiones inter se dividerent.

Polybius contra III. 103. [Fabius] *αἵρεσιν αὐτῷ* [Minucio] *προύτεινε τοιαύτην, ἢ κατὰ μέρος ἄρχειν ἢ διελόμενον τὰς δυνάμεις χρῆσθαι τοῖς σφετέροις στρατοπέδοις κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν. τοῦ δὲ καὶ λίαν ἀσμένως δεξαμένου τὸν μερισμὸν, διελόμενοι τὸ πλῆθος χωρὶς ἐστρατοπέδευσαν ἀλλήλων.*

Nemo praeter Polybium hoc modo rem narravit, alii omnes

---

1) Pro Cernebat N. Heinsius emendat Spernebat. Addit Drakenborchius: *τὰ* „expers irarum" docent, non male N. Heinsium Spernebat pro Cernebat scribendum coniecisse. Withovius legit Cedebat. Utrumque aptum est sensui. Cernebat corruptum et aliud verbum requirendum esse, nos docent verba Liviana XXII. 26. 6. „Ipse (Fabius), qua gravitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem et populi in se saevientis iniuriam tulit."

Livium sequuntur [1]). Silius quoque, ut ex verbis „partitus socias vires" apparet, cum Livio facit. Minime praetereunda mihi videtur res, specie parva, re vera tamen haud sine pondere, ubi quaeritur utrum Silius pendeat a Livio necne.

Vs. 522. legimus:

Non Romana minus servat, quam Punica castra.

et Liv. XXII. 15. 1. „Fabius in suos haud minus quam in hostes intentus." Quae quamquam et aliud tempus et aliam rem spectant, nihilominus documento nobis sunt, ita diligenter Livium a Silio lectum et relectum esse, ut singula verba identidem ei in mentem venirent.

Copiis divisis genio suo indulgens Minucius suum exercitum educit contra hostes. Silentio poëta praetermittit huius pugnae singula momenta, qualia a Livio XXII. 28 et Polybio III. 104. 105 describuntur, sine dubio velut viribus parcens ad narrandum magnificis verbis Dictatoris interventum, quo Minucii exercitus undique ab hostibus circumventus, imminenti pernicie liberabatur.

Quae sequitur pugnae descriptio nil fere commune habet cum historia, sicut a Livio ceterisque auctoribus nobis traditur. Vim eius in maius auxit poëta, qui vincentem Fabium fecerit, historicis contra tradentibus eum Hannibalem reppulisse tantum ac cedere coëgisse. Aciem eam finxit ad exem-

---

1) Plutarchus, Fab. Max. 10. (Fabius) *τὴν δύναμιν διενείματο πρὸς αὐτὸν.*

Dio Cassius, Fragm. Peiresciana. 48. *ὁ δὲ Φάβιος φοβηθεὶς μή τι κακὸν σφᾶς, εἰ πάσης τῆς δυνάμεως ἐγκρατὴς γένοιτο, ἐξεργάσαιτο, πρὸς οὐδέτερον αὐτῷ συνήνεσεν, ἀλλ' ἐνείματο τὸ στράτευμα, ὥστε ἐν ὁμοίῳ τοῖς ὑπάτοις καὶ ἐκείνους ἰδίαν ἑκάτερον ἰσχὺν ἔχειν.*

Appianus, Hannib. 13. hoc tantum dicit: *μερισάμενοι τὴν στρατίαν πλήσιον ἀλλήλων ἐστρατοπέδευον.*

plum praeclarum Homericum. Nomina eorum, quos huic proelio interfuisse narrat poëta, ficta esse persuasum mihi est nullaque ratione cogitandum esse de antiquo quodam fonte, e quo hausta esse putentur [1]).

Ut Schlichteisenius passim haud sine ingenio eorum originem investigavit [2]), ita ego quoque nomina quaedam, quae hoc loco leguntur, examini summittam.

Statim pugnae initio a Fabio interficiuntur inter alios Butes, Arses (vs. 598), Adherbes (vs. 601), Monaesus (vs. 604) et Morinus (vs. 605).

Butes nomen notissimum est e Vergilio, quod indit et filio Amyci Bebriciorum regi [3]), et Troiano cuidam a Camilla occiso [4]).

Arses nomen est filii regis Artaxerxis Ochi [5]). Nomina Persica saepius apud Silium inveniri animadvertit Schlichteisenius [6]).

Adherbes, ut iam Schlichteisenius vidit, alia forma est pro Adherbale (eodem modo pro Hannibale Ἀννίβας etc.).

Quis Monaesi nomen legens non statim reminiscitur versus Horatiani [7]): „Iam bis Monaeses et Pacori manus?"

Morinus nomen gentile est Gallicum [8]). Saepissime personis

---

1) Cf. veterem Scholiastam ad Stat. Theb. II. 629: „In pugnis solent exempla virtutis fictis personis inducere poëtae."

2) Cf. p. 17. sqq. 31. sqq. 38. sqq. 58. sqq. 94. sqq. 120. sqq.

3) Aen. V. 572.

4) Aen. XI. 601. Cf. etiam Apollod. I. 9. 16. Valer. Flacc. I. 394.

5) Arrian. II. 14. Diod. Sic. XVII. 5. Plut. Artaxerxes. I.

6) p. 60.

7) Carm, III. 6. 9.

8) Caesar. de B. G. II. 4. III. 9. al.

apud Silium gentium nomina dantur, ut IV. 521: Ligus, 595: Hirpinus et passim alibi.

Paucis versibus post (vs. 609) habemus Idmonem, quod nomen apud Valerium Flaccum haud semel legitur.

Carmelus (vs. 661) nomen fortasse traxit a monte Galilaeae Inferioris notissimo, sicut Bagrada (vs. 663) a flumine Africae Zeugitanae.

De ceteris nominibus mihi non satis constat, unde desumpta sint. Haec pauca exempla sufficere arbitror, quibus probetur, undique et ex historia et ex mythologia et ex geographia ea conflata esse.

Sil. VII. 691:

> At Cato, tum primum sparsus lanugine malas,
> Quod peperere decus Circaeo Tuscula dorso
> Moenia, Laertae quondam regnata nepoti,
> Quamquam tardatos turbata fronte Latinos
> Collegisse gradum videt, imperterritus ipse
> Ferrata calce atque effusa largus habena
> Cunctantem impellebat equum etc.

Heynacherus dicit[1]): „Beachtenswerth ist, dass Silius erzählt, Cato, dem der erste Flaum die Wange umkräuselte, habe in dieser Schlacht mitgefochten. Cornelius Nepos sagt dagegen, Cato. 1: „Primum stipendium meruit annorum decem septemque, Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss." Da diese beiden 214 Consuln waren, so wäre Cato somit 231 geboren. Nach Silius kämpft er schon 217 unter Fabius und Minucius, und wäre, wenn wir ihn damals 17 Jahre alt an-

1) Progr. c. 5 § 12.

nehmen, 234 geboren. Dann ist auch die Angabe des Silius, dass Cato unter dem Dictator Fabius a. u. 537 gekämpft, nicht zu bezweifeln."

Num in hac re recte viderit Vir Doctissimus vehementer dubitandum credo. Re iterum atque iterum perpensa, a me impetrare non potui, ut concederem Catonem Fabio duce prima stipendia meruisse, ut Silius nobis tradidit, cui hoc loco fidem habendam esse putat Heynacherus. Quod contendit Nepotem dixisse eum Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss., i. e. 214. a. C. n., primum stipendium meruisse, hac de re minime inter doctos constat. Immo vero video optimas editiones, inter quas editioni a Viro Clarissimo Cobeto nuper editae principem locum deberi credo, interpunctione mutata habere: „Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello tribunus fuit in Sicilia".

Van Staveren in Editione sua Nepotis [1]) ad hunc locum annotat: „Ergo post tria stipendia statim factus fuisset Tribunus, quod illis temporibus, quibus, antequam quinque stipendia fecisset, ad Tribuni munus nemo evehebatur, neutiquam congruit".

Tribunatus militum erat inter primos gradus militares, quos Romanus honesto loco natus tenere solebat. Sic in Somnio Scipionis, quod apud Macrobium legimus, P. Scipio Africanus Minor, quum in Africam Tribunus militum venerat, „paene miles" appellatur. Praeterea fieri potest, ut iuvante L. Valerio Flacco, quem ei summopere favisse constat [2]), aliquanto

1) Lugduni Batavorum, 1774.

2) Plut. Cato. c. III. *πολλὴν δὲ τοῦ Οὐαλερίου τιμὴν τε καὶ δύναμιν αὐτῷ προστιθέντος χιλιαρχίας ἔτυχε πρῶτον.*

ante legitimum tempus tribunatum consecutus sit. Neque tamen pro certo rem affirmare ausim, eo minus, quod video Ciceronem [1]) Catonem dicentem induxisse se bello Punico militem, apud Thermopylas anno 191. a. C. n. tribunum militum pugnavisse. Sed utcunque haec res sese habet, quae ad ipsam quaestionem nostram non pertinet, iam demonstrandum est Heynacherum errare arbitrantem, Catonem anno 217 Fabio duce militavisse. Videtur mihi aut non observavisse aut neglexisse Ciceronis verba [2]): „ quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen iam aetate provectum; anno enim post consul primum fuerat (i. e. 233), quam ego natus sum. Cum eo quartum consule (i. e. 214) adolescentulus miles ad Capuam profectus sum, quintoque anno post ad Tarentum".

Hinc recte colligere mihi videor primum eum anno 214 Fabio duce militavisse. Quodsi iam pugnis anni 217 interfuisset, non est quod non hoc loco id narravisset. Haud difficile est explicatu, quae res Silium adduxerit ad Catonis nomen memorandum. Constat eum septemdecim annos natum prima stipendia quidem meruisse, sed non Fabio duce. Quae quum ita essent, quid magis ex ipsa rerum natura, quam ut poëta sui carminis vim atque splendorem augere studeret commemorando virum illis temporibus clarissimum, quem praeterea constaret eo anno primum militavisse?

Post hanc digressionem redeamus iam ad narrationem.

Hostis quum sese recepisset, in sua quisque castra rediit.

---

1) De Senect. 32.

2) De Senect. 10.

Apud Livium XXII. 29 Minucius alloquitur milites eosque adhortatur, ut castra cum Fabio iungant, eiusque milites patronos salutent, postquam ipse Fabium patrem appellaverit. Paulo aliter rem narrat Silius VII. 732:

Ecce autem e media iam morte renata iuventus
Clamorem tollens ad sidera, et ordine longo
Ibat ovans, Fabiumque decus, Fabiumque salutem
Certatim et magna memorabant voce parentem.

Minucii orationem ad Fabium quoque poëta immutavit, quod tamen in poëta non mirandum ac neutiquam exprobrandum est. Confer tamen:

Sil. VII. 742:

Ocius huc aquilas servataque signa referte.

et verba Liviana:

„Signa haec legionesque restituo."

Sil. VII. 746:

Haec ubi dicta dedit, mille hinc (venerabile visu)
Cespite de viridi surgunt properantius arae.

In maius rem auxit poëta. Livius enim XXII. 30. 6: „Tum dextrae interiunctae militesque contione dimissa ab notis ignotisque benigne atque hospitaliter invitati, laetusque dies ex admodum tristi paulo ante ac prope execrabili factus."

Rupertius ad hunc locum annotat: „Cf. Livius XXII. 29. 30 et Polyb. III. 105, ut indolem et δεινότητα poëticae rei tractationis perspicias."

Heynacherus scribit[1]: „Diese Nachricht hat Livius aus einer römischen Quelle, offenbar einer dem Fabius nahestehenden"

---

1) Progr. c. 5] 13.

et paulo infra: „Die Versöhnung beider ausführlich erzählt von Livius, Silius, Plutarch; von Polybios wiederum übergangen." Quid haec verba sibi velint, assequi nequeo. Nemo, opinor, negabit Livium, inter alios auctores, annalium quoque scriptores secutum esse; Silium vero, ut vult Heynacherus, ipsum Fabium Pictorem secutum esse, hinc nullo modo effici potest. Permaneo in sententia mea, Silium fere semper Livium ipsum, ac per eum tantum veteres annalium scriptores fontes habuisse. Constat Heynacherum neutiquam praeiudicata opinione liberum opus aggressum esse. Quod ni ita esset, non quasi de industria praetermisisset congruentias ne minimam quidem contradictionem admittentes, neque vel tenuissimis differentiis passim summi momenti speciem imposuisset.

CAPUT III.

Pervenimus ad Librum octavum, qui variis de causis minus ferax est vestigiorum Livianorum quam septimus, inter quas hanc praecipuam esse credo, quod haud parva pars mythologicae eruditionis specimen exhibet, quae nullam cum vera historia comparationem admittit. Aliqua tamen spes me tenet fore ut, quemadmodum in priore libro, sic in hoc quoque, nonnullas res attingam, quibus, disceptatione accurata minime indignis, quaestio de Silii fontibus quodammodo adiuvetur, ac Heynacheri rationem probari minime posse demonstretur. Tractat hic liber res inde a Minucio Fabii interventu liberato usque ad pugnam Cannensem gestas.

Sil. VIII. 3:

— — Solum [Fabium] vocat Hannibal hostem.

In hoc versu, etsi mutatis verbis, cognoscere possumus Livii cogitationem. XXII. 29. 6 „palam ferente Hannibale, ab se Minucium, se ab Fabio victum," et 30. 10 „Hannibalem dixisse ferunt, tandem eam nubem, quae sedere in iugis montium solita sit, cum procella imbrem dedisse."

Teste Livio XXII. 31, Fabius dictatura abdicat. Consules Cn. Servilius Geminus, M. Atilius Regulus (in locum C. Flaminii, qui apud Trasimenum lacum occiderat, suffectus) accipiunt exercitus, Fabiique artibus summa inter se concordia bellum gerunt. Quae, ut videmus, apud Livium consules Fabii artibus gerunt, apud poëtam facit Fabius ipse: pergit bellum contra Hannibalem gerere, atque cunctando efficit, ut summa inopia apud Carthaginienses oriatur. Hic error tamen non emanavit ex alio fonte a poëta adhibito, (constat enim prodictatorem post sex menses munus deposuisse), sed e negligentia, quod ad veram historiam attinet, poëticae tractationis propria. Mutato ordine ac loco eadem narrat quae Livius.

Sil. VIII. 12:

— — Miles egenus
Cunctarum ut rerum Tyrius foret, arte sedendi
Egerat, — —

Liv. XXII. 32 „Eoque inopiae est coactus Hannibal, ut, nisi cum fugae specie abeundum timuisset, Galliam repetiturus fuerit," et 43. 2 „Ibi (scil. Gereonii) propter inopiam frumenti manere nequit."

Sil. VIII. 16:

Quin etiam ingenio fluxi, sed prima feroces,
Vaniloquum, Celtae, genus ac mutabile mentes
Respectare domos.

Quam rem Silius de Gallis, de Hispanis narrat Livius XXII. 43. 2 [1]) „cum mercennarios milites maxime Hispani generis de transitione cepisse consilium fama esset."

1) Polybius III. 106. 6. mentionem facit Κελτῶν.

Livium quoque in moribus Gallorum describendis secutus esse mihi videtur. Cf. X. 28. 4 „Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris atque aestus fluere, primaque proelia plus quam virorum, postrema minus quam feminarum esse," et V. 44 „Gens est, cui natura corpora animosque magna magis quam firma dederit. Eo in certamen omne plus terroris quam virium ferunt" [1]).

Sil. VIII. 21:

His super, internae labes, et civica vulnus
Invidia augebant: laevus conatibus Hannon
Ductoris non ulla domo submittere Patres
Auxilia, aut ullis opibus iuvisse sinebat.

Heynacherus [2]): „Hanno hintertreibt beim Carthagischen Senat die Unterstützung des Hannibal: dies entgegenarbeiten der Hannonischen Partei erwähnt nur Appian. Hannib. 16. Livius spricht erst nach der Schlacht von Cannae davon. Die Erwähnung der Hannonischen Opposition beweist, dass er auch in der Disposition seines Gedichts den Livius nicht gefolgt ist."

Si eo loco, quo Livius Hannonis repugnationem narrat, praetermisisset eam Silius, verum sentiret Heynacherus, contendens carminis dispositionem ab ordine rerum, sicut a Livio narrantur, abhorrere. Nunc vero, minus recte, opinor, rem accepit. Suo loco enim, i. e. post pugnam Cannensem, rem posuit [3]), idque eo modo ut Livianae narrationis vestigia passim occurrant. Videndum est, quae ratio eum

---

1) Cf. etiam Polyb. II. 33, τοῖς τε θυμοῖς κατὰ τὴν πρώτην ἐφοδον, ἕως ἂν ἀκέραιον ᾖ, φοβερώτατόν ἐστι πᾶν τὸ Γαλατικὸν φῦλον.

2) Progr. c. 5 § 14.

3) Sil. XI. 483 sqq.

induxerit, ut hoc quoque loco eius rei mentionem faceret. Vero proximum mihi videtur accipere poëtam, enumeratis quibus laboraret Hannibal aerumnis, frumenti inopia, metu dictatoris, sociorum seditione, his quasi cumulum afferre voluisse, quum fingeret domi quoque Hannibali resisti coeptum esse, eoque maiore veritatis specie facere hoc poterat, quum constet, Hannonem, genti Barcinae, ex qua oriundus esset Hannibal, infestissimum, ab initio belli nunquam desiisse bellum dissuadere [1]). Semper observandum est Silii interpretibus, quod Heynacherus saepius neglexit, poëtam poëtarum non historicorum modo argumentum suum tractavisse, neque ad amussim exigendum nobis esse, utrum semper cum exemplo suo congruat necne.

Neque apud Livium huius rei vestigia prorsus desunt. In oratione Fabii Maximi ad Aemilium Paulum, ad exercitum profecturum, ergo ante pugnam Cannensem (XXII. 39. 15) legimus haec verba: „dubitas ergo, quin sedendo superaturi simus eum, qui senescat in dies, non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat?"

His, quas dixi, rebus adversis commotus capit Hannibal consilium ex Samnio in Apuliam movendi, ut Livius XXII. 43 nobis tradit: „Movere inde statuit in calidiora atque eo maturiora messibus Apuliae loca, simul quod, quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levibus ingeniis essent," et Polyb. III. 107 „παραδιδόντος τοῦ καιροῦ τὴν ἐκ τῶν ἐπετείων καρπῶν χορηγίαν, ἐκίνει τὴν δύναμιν ἐκ τοῦ περὶ τὸ Γερούνιον χάρακος Ἀννίβας. Haec historici.

---

1) Cf. Sil II. 276 sqq ; IV. 771; Livius XXI. 3; ibid. 9.

Apud Silium Iuno per deam Annam, Didonis sororem, quam confundit cum Anna Perenna, dea indigena Romanorum, suggerit ei consilium in Apuliam transeundi. Quum huic narrationi nulla historica fides subsit, pluribus verbis de ea agere non necesse est. Hoc tantum admoneo, minime suum ipsius ingenium secutum esse Silium, sed niti Ovidii auctoritate, qui Fast. III. 523—696 copiose huius Nymphae fata tractavit[1]).

Teste Livio XXII. 41. novi consules, L. Aemilius Paulus et M. Terentius Varro veniunt in castra ad Gereonium, Hannibale nondum in Apuliam profecto, qui frustra conatus Romanos in insidias inducere (c. 42), quam rem Pauli consulis diligentia prohibuit, omnium rerum inopia coactus, ut supra vidimus, Samnium relinquit.

Polyb. III. 107 „Τοῖς μὲν οὖν περὶ τὸν Γναῖον [Cn. Servilium Geminum, alterum anni 217 consulem] ἐπισχεῖν ἔτι διεσάφησαν, αὐτοὶ δὲ τοὺς ὑπάτους ἐξαπέστελλον.

Sil. VIII. 242:

Dumque Arpos tendunt instincti pectora Poeni,
Subnixus rapto plebei muneris ostro,
Saevit iam rostris Varro[2]).

Res Romae gestas ante Hannibalis discessum, ad hoc tempus, quum iam profectus esset, transtulit poëta, quem Polybium

1) Cf. Wezel. p. 88.

2) Ad hunc locum Wezelius (p. 43) confert Ennii verba: „perculsi pectora Poeni."

Appianus, Hannib. 15. 16. 17 hanc rem narrans, mirum in modum confundit et tempora et loca; 15 in fine, quum dolo exercitum insidiis liberavisset, contendit Gereonium, ubi hiemavit. 17 οἱ δὲ (Scil. novi consules) τὴν στρατίαν τὴν ἐν Ἰαπυγίᾳ προσλαβόντες, ἐστρατοπέδευον ἀμφὶ κώμῃ τινὶ καλουμένῃ Κάνναις. καὶ ὁ Ἀννίβας αὐτοῖς ἀντεστρατοπέδευεν. Summa obscuritate laborat.

sequentem hic videmus. Valde miror, quod Heynacherus hanc occasionem praetermisit, nisi fortasse ad hunc quoque locum pertinet, quod Bauerus (p. 25) animadvertit, omnem inter Silium et Polybium consensum consilio eius incommodum esse, eoque de industria omisit. Nam quum Heynacherus ubique id agit ut Fabiana vestigia eruat, minime concedere potest pendere eum a Polybio, quem Punico auctore Sileno usum esse constat. Mihi persuasum est Silium hoc loco Polybium secutum esse, quae res eo opportunius ei offerebatur, quod Hannibalem extemplo Iunonis iussis morem gerentem inducere vellet.

Transeamus ad ea quae interea Romae acciderant. Consules creati erant L. Aemilius Paulus et C. Terentius Varro, quorum mores ab Silio et Livio eundem in modum describuntur.

Sil. VIII, 246:

Atque illi [Varroni] sine luce genus, surdumque parentum
Nomen et immodice vibrabat in ore canoro
Lingua procax: hinc auctus opes largusque rapinae
Infima dum vulgi fovet, oblatratque senatum;

258:

Idem, ut turbarum sator, sic debilis arte
Belligera, Martemque rudis versare, nec ullo
Spectatus ferro, lingua sperabat adire
Ad dextrae decus, atque e rostris bella ciebat.

Liv. XXII. 25. 18: „Unus inventus est suasor legis C. Terentius Varro, qui priore anno praetor fuerat, loco non humili solum, sed etiam sordido natus." Ibid. 26: „Is iuvenis proclamando pro sordidis hominibus causisque adversus

rem et famam bonorum primum in notitiam populi, deinde ad honores pervenit." Ibid. 38. 9 (ex oratione Pauli): „ Mirari se, quod qui dux, priusquam aut suum aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset, iam nunc togatus in urbe sciret, quae sibi agenda armato forent, et diem quoque praedicere posset, quo cum hoste signis collatis esset dimicaturus." Ibid. 34. 2: „C. Terentio Varroni, quem sui generis hominem, plebi insectatione principum popularibusque artibus conciliatum, ab Q. Fabii opibus et dictatorio triumpho concusso aliena invidia splendentem, vulgus extrahere ad consulatum nitebatur" — —

Sil. VIII. 244:

Saevit iam rostris Varro — —

Liv. XXII. 38. 6. „ Contiones, priusquam ab urbe signa moverentur, Consulis Varronis multae ac feroces fuere."

Heynacherus ad hunc locum [1]): „ Silius' Characteristik der Consuln Aemilius Paulus und Terentius Varro stimmt mit Livius überein. Letzterer folgt hier wieder einer römischen Annalistenquelle." Cui si credere vis, consensus causa est fons utrique scriptori communis. Immo vero neminem nisi ipsum Livium secutus est poëta, ut recte iam vidit Bauerus [2]), cuius argumenta aliquot argumentis amplificare conatus sum. Varronis oratio ad populum a Livio oratione obliqua redditur, apud Silium, qui verba eius auxit atque extulit, ut toties recta, ceterum in utraque easdem notiones reperimus.

---

1) Progr. c. 5 § 15.
2) p. 45.

Sil. VIII. 274:

— — Quae prima dies ostenderit, hostem
Et patrum regna et Poenorum bella resolvet.

Liv. XXII. 38. 7. „Se, quo die hostem vidisset, perfecturum (bellum)."

Porro de Aemilio, Sil. VIII. 284:

Cernebat Paulus (namque huic communia Campus
Iura atque arma tulit) labi, mergente sinistro
Consule res, pessumque dari: sed mobilis ira
Turbati vulgi, signataque mente cicatrix
Undantes aegro frenabat corde dolores.
Nam quum perdomita est armis iuvenilibus olim
Illyris ora viri, nigro adlatraverat ore
Victorem invidia, et ventis iactarat iniquis.

Liv. XXII. 35. 3. „Tum nobilitas L. Aemilium Paulum, qui cum M. Livio consul fuerat, ex damnatione collegae [1]), ex qua prope ambustus evaserat, infestum plebi, diu ac multum recusantem ad petitionem pepulit." Ibid. 40. 3: „Se populare incendium priore consulatu semustum effugisse."

Fabius, alterius consulis ingenio cognito, proficiscentem L. Aemilium Paulum longiore oratione adhortatur, ut caute rem gerat; quae oratio et apud Silium et apud Livium legitur.

Sil. VIII. 297:

Huic Fabius iam castra petenti: — —

Liv. XXII. 38. 13:

---

1) De re vide Plut. Fab. Max. 14. Polyb. III. 16. 18.

„Fabius Maximus sic eum proficiscentem allocutus fertur."

Sil. VIII. 298:

Si tibi cum Tyrio credis fore maxima bella
Ductore, invitus vocem hanc e pectore rumpam;
Frustraris, Paulle, Ausoniam: te proelia dira,
Teque hostis castris gravior manet; — —
— — — — — — — — — — — — —
Spondentem audivi — — —
Cum duce tam fausti Martis, qua viderit hora,
Sumturum pugnam.

Liv. XXII. 39. 4. „Erras enim, L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio quam cum Hannibale futurum censes; nescio an infestior hic adversarius quam ille hostis maneat te." Ibid. 7. — — „proelia atque acies iactando" — —

Sil. VIII. 306:

— — Quantum nunc, Paulle, supremo
Absumus exitio, vocem hanc si consulis ardens
Audivit Poenus! — .—

Liv. XXII. 39. 8. „Atqui si hic, quod facturum se denuntiat, extemplo pugnaverit, aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Trasumenno locus nostris cladibus erit."

Sil. VIII. 312:

Tu campum noscas ante, exploresque trahendo
Qui ritus hostis: tu non, quae copia rerum,
Quae natura loci, quod sit, rimabere sollers,
Armorum genus?

Hoc deëst quidem in oratione Fabii, sed legitur in Aemilii contione ad populum. Liv. XXII. 38. 9. „Mirari se, quod qui dux, priusquam aut suum aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset etc." Vide supra p. 66.

Sil. VIII. 316:

— — Fer, Paulle, in devia recti
Pectora: cur, uni patriam si affligere fas est,
Uni sit servare nefas? — —

Liv. XXII. 39. 18. „Duobus ducibus unus resistas oportet."

Sil. VIII. 318:

— — Eget improbus arto
Iam victu Libys, et belli fervore retuso,
Laxa fides socium est. Non hic domus hospita tecto
Invitat patrio, non fidae moenibus urbes
Excipiunt, renovatque pari se pube iuventus.
Tertia vix superest, crudo quae venit Ibero,
Turba virum.

Liv. XXII. 39. 13. „Hannibal contra in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque, procul ab domo, ab patria; neque illi terra neque mari est pax: nullae eum urbes accipiunt, nulla moenia; partem vix tertiam exercitus eius habet, quem Hiberum amnem traiecit; plures fame quam ferro absumpti: nec his paucis iam victus suppeditat."

Sil. VIII. 325:

— Si qua interea invitaverit aura,
Adnueritque Deus, velox accede secundis.

Liv. XXII. 39. 21. „Nec ego, ut nihil agatur moneo,

sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna; armatus intentusque sis, neque occasioni tuae desis, neque suam occasionem hosti des."

Maiorem horum locorum partem contulit iam Bauerus [1]). Quum vero putarem non unicuique lectorum libellum eius in manibus esse, haud supervacuum mihi visum est eos ascribere. Praeterea de meo quaedam addidi, quae comparatione non indigna ducebam, quaeque sive fortuito sive de industria a Bauero neglecta sunt. Pluribus verbis opus esse non credo, ut iure meo pro certo ponere audeam Silium in hac saltem re a Livio pendere, neque Heynachero concedendum esse in orationibus operi insertis apud Silium et Livium nullam unquam similitudinem intercedere [2]).

Sil. VIII. 327:

Cui breviter maesto consul sic ore vicissim:

Liv. XXII. 40. 1. „Adversus ea oratio consulis haud sane laeta fuit." Livius oratione obliqua Aemilii verba reddens brevior est Silio, qui multo copiosius eum loquentem facit. Nihilo secius consensus evidentissimus est.

Sil. VIII. 332:

Sed quaenam ira Deum! Consul datus alter opinor,
Ausoniae est, alter Poenis: trahit omnia secum,
Et metuit demens, alio ne consule Roma
Concidat.

Liv. XXII. 40. 2. „Quid Consuli adversus collegam seditiosum ac temerarium virium atque auctoritatis fore?"

---

1) p. 48.
2) Progr. p. 66.

Sil. VIII. 345:

Sed si surda mihi pugnabunt castra monenti,
Haud ego vos ultra, nati, dulcemque morabor
Assaraci de gente domum, similemve videbit
Varroni Paullum redeuntem saucia Roma.

Liv. XXII. 40. 3. — „at si quid adversi caderet, hostium se telis potius quam suffragiis iratorum civium caput obiecturum."

Praeterea Sil. VIII. 329:

— — Nec me unica fallit
Cunctandi ratio, qua te grassante senescens
Hannibal oppressum vidit considere bellum.

Sunt verba Fabii apud Liv. XXII. 39. 15 „Dubitas ergo, quin sedendo superaturi simus eum, qui senescat in dies?" Deinde consules in castra proficiscuntur, exercitibus ita multiplicatis, ut constet, maiore conatu atque impetu rem actam esse quam prioribus annis, quia spem posse vinci hostem dictator praebuisset (Liv. XXII. 36. 5). Cf. Sil. VIII. 352, 353:

Non alias maiore virum, maiore sub armis
Agmine cornipedum concussa est Itala tellus.

Sequitur (vs. 356—621) recensio copiarum Romanarum, qua singulae gentes earumque duces enumerantur. In hac re sine dubio Silio praeivit Vergilius. Aen. VII. 647 sqq.; X. 163 sqq. In his etiam, quae a poëta ficta esse inter omnes constat, occurrunt quaedam, quae Livii nos commonent, unde colligere licet, quam accurate eum legerit, atque memoria tenuerit, quod, si alium scriptorem fontem

habere voluisset, cur faceret non erat. Sic legimus Sil. VIII. 374: „Pila volunt, brevibusque habiles mucronibus enses", et apud Livium XXII. 46. 5, quamvis de aliis hominibus iisdem fere verbis: „Hispano, punctim magis quam caesim adsueto petere hostem, (gladii erant) brevitate habiles et cum mucronibus."

Sil. VIII. 551 de Scipione:

Ipse inter medios venturae ingentia laudis
Signa dabat, vibrare sudem [1]), transmittere saltu
Murales fossas, undosum frangere nando
Indutus thorace vadum: — —

Haec scribenti non dubito, quin poëtae obversata sint Liviana verba de eodem Scipione, XXVI. 51: „Ipse paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercendis navalibus pedestribusque copiis absumpsit. Primo die legiones in armis IV milium spatio decurrerunt, secundo die arma curare et tergere ante tentoria iussi; tertio die rudibus inter se in modum iustae pugnae concurrerunt praepilatisque missilibus iaculati sunt."

Heynacherus [2]) et ante eum iam Wezelius [3]) pro certo posuerunt hanc recensionem poëtam ex Ennii annalibus hausisse, ad quod probandum conferunt versum Ennianum 280: „Marsa manus, Peligna cohors, Vestina virum vis" cum Silii vss. 495: — At Marsica pubes etc.

---

1) Pro sudem Rupertius substituendam putat rudem. Cf. Liv. XXVI. 51. „Legiones tertio die rudibus inter se in modum iustae pugnae concurrerunt."

2) Progr. c. 6 § 1.

3) p. 46.

509. — — Coniungitur acer
Pelignus — —
515. Haud ullo levior bellis Vestina iuventus
Agmina densavit, — —

Observant eundem ordinem apud utrumque esse. Mihi videntur Viri Docti recte iudicavisse, eoque magis, quod, ut animadvertit Wezelius [1]) non raro Ennius Vergilio quoque exemplo fuit.

Sil. VIII. 404—411 legitur splendidum Ciceronis elogium. Ad hunc locum annotat Rupertius: „Ut itaque memoriam eius viri, quem non minus fere, quam Maronem, ad imitandum sibi proposuerat, hoc quasi monimento consecraret, unum e maioribus ipsius Arpinatibus aliisque Volscis praefuisse fingit." Recte dicit: fingit. Quodsi re vera inter M. Tullii Ciceronis maiores numerandus esset, homo vanissimus profecto non neglexisset ipse mentionem eius facere. Qui contra pluribus locis affirmat de maioribus suis nihil quidquam constare, velut: de lege Agraria c. 1 § 1. „Mihi quidem apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quo non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos disciplinaque institutos videtis, sed quod laude populari atque honoris vestri luce caruerunt."

Ibid. c. 36 § 100. „Nulli populo Romano pro me maiores mei spoponderunt — — nulli me vobis auctores generis commendaverunt."

Videmus igitur ad Ciceronis, quem interdum sequitur, laudem praedicandam, finxisse poëtam Tullium quendam.

---

1) p. 36.

Eodem modo laudibus extollit Vergilium [1]) et Ennium [2]), ubi Heynacherus [3]) animadvertit: „Dass Silius der Ennius verherrlicht als Nachkommen des Königs Messapus, als tapfern römischen Centurio und ersten nationalen Dichter, beweist, dass er ihn genau gekannt und besser gewürdigt hat, als die meisten seiner Zeitgenossen," et paulo infra: „Sicherlich ist auch Ennius von Silius vielfach benutzt." Simile de Cicerone dicit Wezelius p. 47.

Multa vera huic argumentationi inesse libenter concedo. Ego quoque credo eum Ennium tum Ciceronem non solum novisse Silium sed etiam imitatum esse. Quum vero haec diceret Heynacherus, non intellexit, se ipsum opinionem eam, cui potissimum favet, penitus profligare. Quid enim magis e rerum natura consentaneum, quam ut poëta, si re vera Fabium Pictorem pro fonte habuisset, primam quamque hominis illius carmini inserendi occasionem avidissime arriperet, quod videmus eum non fecisse? Nam Sil. XII. 320 sqq. narratur legatos Delphos missos laetum de belli exitu nuntium rettulisse:

Addunt spem miseris dulcem Parnasia Cirrha
Portantes responsa viri.

Conferamus Livium XXII. 57. 5. „Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus sciscitatum, quibus precibus suppliciisque deos possent placare."

Liv. XXIII. 11. „Dum haec geruntur, Q. Fabius Pictor legatus a Delphis Romam redit, responsumque ex scripto recitavit."

---

1) VIII. 593 sqq.
2) XII. 393 sqq.
3) Progr. p. 50.

Num credibile est, Silium, quem Heynacherus contendit Pictorem pro principe fonte habuisse, hic, ubi occasio tam pulchra laudem eius praedicandi offerretur, occasionem neglexisse, atque auctorem illum suum et exemplum silentio praeteriisse, quum alios, (in quorum numero Vergilium referre nolim, cui longe plurima eum debere nemo nescit) ut Ennium Ciceronemque, quos haud ita saepe secutus est, praestantissimis laudibus extulerit? Quodsi nulla alia argumenta in promptu essent, quibus Heynacheri opinio refellatur, vel unum hoc sufficere crederem ad probandum, inter Silium et Pictorem ne minimam quidem necessitudinem intercedere.

Sil. VIII. 622:

Ut ventum ad Cannas, urbis vestigia priscae,
Defigunt diro signa infelicia vallo.

Liv. XXII. 43. 10. „Cannas urgente fato profecti sunt. Prope eum vicum Hannibal castra posuerat."

Polyb. III. 107. 2. *καταλαμβάνει τὴν τῆς Κάννης προσαγορευομένης πόλεως ἄκραν.* 4. *τὴν μὲν οὖν πόλιν ἔτι πρότερον συνέβαινε κατεσκάφθαι.* Hinc colligit Wezelius [1]) Silium hic non Livium sed Polybium secutum esse. Heynacherus, cui studenti probare Fabium Pictorem fontem Silii esse, omnis consensus inter Silium et Polybium, qui plerumque Sileni auctoritate nititur, incommodus est, diligentissime operam dat, ut hoc argumentum evertat. Audiamus ipsum [2]): „Wezel schliesst, Silius folge hier nicht dem Livius XXII. 43, der Cannae vicum nennt, sondern dem Polybios III. 107: *τὴν μὲν οὖν πολιν ἔτει πρότερον ἐνὶ συνέβαινε κατεσκάφθαι.* Silius

1) p. 74.
2) Progr. c. 6 § 2.

sagt aber keineswegs, dass Cannae noch Stadt sei. Priscus = πρὶν bedeutet das, was vor längerer Zeit da war und in unsere Zeit nicht mehr hineinreicht. Von dieser uralten Stadt wären Ruinen dagewesen. Hätte Silius gleich Polybios gemeint, dass die Stadt Cannae in Jahre vorher zerstört worden, so hätte er sich anders ausgedrückt."

Defendit igitur, Polybium fontem non esse. Quem vero poëtae exemplo fuisse credat, non dicit. Ad opinionem suam probandam profert argumenta quae nimis quaesita mihi videntur. Primum omnium obtrudit nobis lectionem, quam, auctore Bauero, unus tantum Codex isque deterior exhibet, eamque argumentationis fundamentum esse voluit. Si aliam melioremque lectionem sequimur, omnia bene se habent et Polybius eadem dicit quae Silius. Urbis enim iampridem deletae vestigia superesse possunt. Silius igitur hic nescio qua de causa Livianam narrationem deseruit Polybiumque secutus est. Restat ut paucis verbis absolvam, quae de differentia inter Livium et Polybium sentiam. Livius et cum eo Florus II. 6 et Appianus Hannib. 17 appellant Cannas vicum, Florus etiam ignobilem. Praeterea Cicero Tusc. Disp. I. 37. „Cannae vicus Apuliae clade Romanorum bello Punico Secundo nobilitatus." Res sic habere sese mihi videtur: urbs Cannae iamdudum deleta erat, sed prope reliquias eius postea vicus et quidem parvus conditus erat, quem fieri potest ut ob ipsam exiguitatem Polybius et cum eo Silius neglexerit, nisi forte post Punici belli tempora vicus ille natus est, ac Livius temporum rationes perturbavit, vicum Cannas tanquam tunc iam extantem fingens. Quae si ita sunt, verba apud Livium XXII. 49. 13 „duo milia ferme

in vicum ipsum Cannas perfugerunt" de urbis reliquiis accipienda sunt. Ceterum, utcunque res sese habet, quam falso Heynacherus sentiat, nemo non, opinor, facile perspiciet.

Venimus ad prodigia, funestum proelii exitum portendentia; ad hunc locum Heynacherus [1]): „Nach Silius VIII. 625 finden die unglücklichen Zeichen im Lager vor Cannae Statt; nach Livius XXII. 36 gestehen sie in Rom und Umgegend, bevor die neuen Legionen ausrücken: Silius erzählt wiederum ganz andere Zeichen, wie Livius." Quid de hac re sentiendum sit, copiose Bauerus [2]) exposuit. Undeviginti ex prodigiis a Silio narratis longe maximam partem et apud alios scriptores, ut Livium, Vergilium, Homerum cett. reperimus. Quod porro dicit, haec prodigia apud Silium in castris, apud Livium Romae accidisse, vehementer errat. Si prodigiorum seriem inspexeris, videbis complura ex aliis locis nuntiata esse, ut vs. 642: Gallorum visi bustis erumpere manes. 643: Tarpeia rupes tremuit. 646: lacrimae fluxerunt effigie Quirini. 647: Allia extulit se ripis. 648: Alpes concutiuntur. 653: Montes Aetna et Vesuvius ignes contorquent.

Ad finem veni librorum, quos tractandos mihi proposueram, qui eo praecipue graves mihi videbantur, quod in iis Fabii dictaturam descripsit poëta. Heynacherus enim id agit, ut probet e Fabio Pictore ipso vel ex alio, qui Fabium secutus sit, neque e Livio materiam suam Silium deprompsisse. Interest igitur omnium, qui mecum sentiunt Livium ante omnes fontem exemplumque Silii habendum esse,

---

1) Progr. c. 6 § 3.
2) p. 19—21.

in hac potissimum parte Liviana vestigia indicare. Contendit porro Silio inter fontes Punici belli secundi locum deberi, mihi contra, ut pluribus locis probare conatus sum, cum Schlichteisenio, Bauero et Cosackio persuasum est, Silium ante omnia poëtam esse, cuius magis interest lectorum animos oblectare ac tenere quam historiam scribere. Quo fit, ut, ubi occasionem videat aliquid pulchri carmini inserendi, minime vereatur fidei historicae vel maximam vim inferre, ut passim videre possumus et in his duobus libris et in ceteris omnibus. Poëtico ornatui primum locum concedit. Filum, ut ita dicam, historicum, quod totum carmen percurrit, Livio et nonnunquam Polybio eum debere, quantum poteram conatus sum exponere. Quodsi hoc aliquatenus pro exiguis meis viribus prospere mihi cesserit, contentus ero conscientia, operam, quam in his scribendis impendi, non irritam fuisse.

CAPUT IV.

ANNOTATIONES CRITICAE.

Nemo dubitabit, quin in Silii textu nobis tradito multa corrigenda atque vitiis purganda sint. Facile quivis hoc intelliget, qui noverit qui librorum manuscriptorum Nostri casus fuerint. Liber, quem Poggius invenit in bibliotheca Sangallensi et transscripsit, brevi post deperiit, nobisque nil reliqui est, nisi apographa illius libri plerumque pravissima vitiisque scatentia. Unus Coloniensis Liber est, qui ceteris paulo praestat. Textui emendando perpauci tantum operam dederunt post praeclaros illos homines superioris aevi Drakenborchium, Heinsium, alios.

Anno 1877 prodierunt duae Dissertationes, altera Monasterii: „Quaestiones Silianae criticae et exegeticae," quam scripsit Carolus Koch; altera, auctore Augusto Chory, Ratiboriae, cui titulus: „Emendationum Silianarum specimen." Qui Viri Doctissimi pro suis quisque viribus, ut obscuris quibusdam apud Silium locis lumen adhiberent, operam dede-

runt. Paucis annis ante, anno 1867, in programmate Scholae Luisenstadienses „Emendationes Silianas" publicavit Vir Doctissimus H. Blassius, qui, editurus totum Silii carmen notis criticis instructum, morte immatura abreptus est. Ceteri, qui de Nostro scripserunt, nonnisi de fontibus exemplisque eius egerunt, ut supra vidimus; Cosackius unum tantum locum, qui corruptus ei videbatur, sanare conatus est [1]). Legens ac relegens Silii libros nonnullos locos inveni, qui corrupti mihi videbantur. Fuerunt et loci, quos Drakenborchius, Heinsiusque et alii sanare conati essent, quorum coniecturae, quamvis evidentissimae mihi videantur, tamen a recentioribus Editoribus in textum non receptae sunt. Horum locorum nonnullos collegi, quos, addita ratione, qua sanari eos existimo, lectorum iudicio subicere in animo est, qua re labori meo finis imponatur. Negare minime volo multo plures esse locos, qui scrupulos mihi iniicerent, sed quibus aut omnino nullam aut audaciorem tantum emendandi rationem invenire possem. Spero fore ut cura a me in hac re adhibita, aliquid saltem, prosit ad quosdam ex obscurissimis corruptissimisque Silii locis illustrandos.

Sil. II. 573. Furia in Tiburnae morte Murri viduatae speciem conversa, Saguntinos adhortatur, ut morte voluntaria aeternam servitutem effugiant.

Carthago adspiciet victrix, tandemque supremum
Nocte obita Libyae gremio captiva iacebo.

---

1) p. 17 not.

Statim inter legendum haesi in verbo supremum, quod adverbialiter hoc loco dictum mihi videtur et iunctum cum tandem abundat, supremum enim idem significat quod postremum. In mentem mihi venit legere suprema, nec sine causa in hanc opinionem incidi. Sensus est: Post mortem captiva gremio Libyae iacebo. Solemne est: „supremum diem obire", vel tantum „diem obire". Sic legitur Nepos. Dion 11: „diem obiit supremum." Suet. Vesp. 1: „ibique diem obiit." Variavit hunc usum poëta scribens: noctem obire; noctem saepe pro morte poni haud uno exemplo demonstrari potest. Vide. Horat. Carm. I. 4, 16: „Iam te premet nox," ibid. 28. 15: „Omnes enim manet nox." Vergil. Aen. X. 746: „In aeternam clauduntur lumina noctem." Non dubito igitur quin optime noctem obire dici possit. Legatur ergo:

Carthago adspiciet victrix, tandemque suprema
Nocte obita, Libyae gremio captiva iacebo.

Sil. III. 181 legitur:

— — Monet hoc pater ille Deorum.

Livineius mavult: pater ipse Deorum. Non male, inquit le Maire, neque tamen in textum recepit. Drakenborchius ad hunc locum annotat: „ille hic cum emphasi ponitur", atque laudat Vergil. Aen. VII. 110: „Sic Iuppiter ille monebat." Liv. I. 24: „Tum tu, ille Diespiter, populum Romanum sic ferito cett." Tibull. I. 4. 23: Vetuit pater ille valere." Ovid. Metam. II. 848: „Ille pater rectorque Deum — — induitur faciem tauri."

Quanti Drakenborchii argumenta aestimanda sint, primo obtutu nemo non videbit. Duobus locis huic simillimis recentiores Editores ille in ipse mutaverunt (Vergil. Aen. VII. 110. Tibull. I. 4. 23), reliqui longe aliud dicere volunt; habent, ut Drakenborchius recte vidit, emphasin, nostro loco nulla emphasi opus est. Mercurius Hannibalem adhortatur, ut strenue agat seque sequatur, neque tamen dixit se Iovis verbis loqui. Quod ut Hannibal perspiciat, postremo addit: Monet hoc pater ipse Deorum, i. e. non mea iussa haec sunt. Eadem res est apud Vergilium et Tibullum locis laudatis. Minime igitur dubito, harum rerum ratione habita, hic quoque cum Livineio ipse pro ille substituere.

Sil. IV. 71:

— — discat, quanto stat celsius arce
Herculea vallum, et maius sit, scandere colles, etc.

Heinsius stet scribendum censet. Sequentia satis evincunt, quamvis obnitentibus codicibus. Reclamat Lefeburius, quia mutatio modorum passim sit obvia. Nihilominus recte sentire Heinsium credo. Inconcinnitas inter stat et sit maior est, quam ut ferri possit.

Sil. IV. 363:

Ardebant, gelidosque dehinc invisere montes
Taygeta, et tandem bellis innare subactis
Eurotan patrium, ritusque videre Lycurgi.

Quid sit bellum subigere, non intelligo; bello aliquem subigere recte quidem se habet, sed non credo ipsum bellum

subigi posse. Interpretes explicationem quaesitissimam nobis obtrudere volunt: „bellis subactis," inquiunt, „fortasse confectis, finitis, fere ut exercere et fatigare diem etc." Sed nemo non videt meras nugas has esse. Quodsi legeretur peractis, omnia recta essent. Melius verbum invenire non potui, quamquam confiteor coniecturam audaciorem esse.

Sil. IV. 578:

— — Labe tenaci
Haerent devincti gressus — —

Praeclaram huius loci emendationem proposuit Rupertius, qui pro labe legere vult tabe. Tabes, inquit, est humor foedus et lutulentus e nive liquefacta. Sic. Livius XXI. 36: „in levi glacie tabidaque nive volutabantur". Cic. Nat. Deor. II. 10: „humor calore tabescit". His Rupertii exemplis pauca, quae magis etiam eius coniecturam confirmare possint, addere lubet: Luc. X. 225: „prima tabe nivis" et Lucr. VI. 964: „Sol nives radiis tabescere cogit".

Sil. V. 66:

Signa etiam adfusa certant dum vellere mole,
Taeter humo lacera nitentum erupit in ora
Exsultans cruor, — —

affusa mole dictum credit Heinsius de magna vi et conatu eorum, qui signum evellere conantur. Dausqueius legit effusa atque addit: „prius effundunt, quod erat soli constipati." Quem errare dicit Heinsius, neque enim de effosso solo hic agi. Iter nobis ostendit Livius (XXII. 3. 13), quem,

ut toties alibi, sic hoc quoque loco Silius secutus est. Loco laudato legimus Flaminii verba: „effodiant signum". Una literula mutata unaque addita omnia recte se habent. Legatur: effossa mole. Moles, ut Dausqueius iam vidit, est solum circa signum constipatum. Inde etiam humo lacera, scil. effodiendo. Qui enim vellendo tantum lacera esse posset? Haec verba nisi de hac re dicta accipias, omni sensu carent.

Sil. V. 489:

Cohors Sicula, extremo periculo coacta, confugit in arborem, cuius rami supra modum onerati succumbunt ponderi.

Huc Hennaea cohors, Triquetris quam miserat oris
Rex, Arethusa, tuus, defendere nescia morti
Dedecus, et mentem nimio mutata pavore,
Certatim sese tulit, adscendensque vicissim
Pressit nutantes incerto pondere ramos.

Cur pondus hoc incertum appelletur, non assequor. Certissimum multo magis erat. Nemo, credo, dubitabit, quin hic locus vitio quodam laboret proque verbo incerto aliud sensui magis accommodatum substituendum sit. Quid vero? Haud procul a vero abesse me puto, legens insueto pondere. Mutatio perexigua est, eoque defendi potest, quod constat Poggium summa cum festinatione coactum fuisse codicem describere. Quod si legis, nil deëst sententiae. Insueto i. e. novo pondere onerati, molem illam sustinere nequeunt rami, quo fit, ut cum hominibus insidentibus corruant.

Sil. V. 641:

— — tela omnia solus
Pectore consumo, et moriens, fugiente per auras
Hoc animo, vestras revocabo ad proelia dextras.

Ni fallor, pro c o n s u m o legendum est c o n s u m a m, quo multo melius cohaereat cum sequenti r e v o c a b o.

Sil. VI. 55:

Diverso interea fugientes saucia turba
Iactantur casu, silvisque per avia caecis
Ablati furtim multo cum vulnere solos
Per noctem metantur agros.

Quamvis vulgata lectio ferri possit, melius tamen legi mihi videtur: d i v e r s o c u r s u, quo verbo militum errores huc illuc fugientium melius significantur. Eodem modo apud Livium eandem hanc fugam narrantem XXII. 7. 2. legimus d i v e r s i s i t i n e r i b u s.

Sil. VI. 168.

Scire nemus, pacemque loci explorare libebat.

Miror quod nemo Editorum praeclarissimam Burmanni coniecturam f a c i e m q u e pro p a c e m q u e in textum recepit, quin etiam summa indignatione omnes eam reiecerunt. Drakenborchius hoc tantum annotat: Burmannus f a c i e m q u e l o c i scribendum conicit. Rupertius: Burmannus f a c i e m q u e l o c i. Male! Ernesti: Male Burmannus f a c i e m q u e l o c i legendum putat. Quid sibi velit pax illa loci, cui Editores tantopere favent, non assequor. Rupertius sic explicat: q u i e t e m, ut VII. 258:

„Sensim infusa tranquilla per aequora pace", ubi de mari sedato pax optime dicatur; hic vero quietis sensus minime requiritur, optime contra legitur facies loci i. e. n a t u r a, ut Sil. VIII. 317:

Quae natura loci, quod sit, rimabere sollers,
Armorum genus?

Liv. XXII. 38. 9:

— „priusquam naturam regionis nosset", — —

Plin. Epp. II. 17. facies urbium.

Caesar. de Bello Gall. I. 4. Natura montis.

Quam elegantiam Ernesti verbis „pacemque loci" inesse putarit, non intelligo.

Sil. VI. 256:

Nec frustra rapidi, stimulante dolore, fuisset
Impetus, — —

Sic vulgata lectio. Editio Romana II, 1471 exhibet r a b i d i.

R a p i d u s hoc loco omni vi caret, celeritatis enim notio sensui prorsus aliena est, r a b i d u s contra optime quadrat, eoque magis, quod tribus versibus ante de dracone illo dictum est: „Furit ilicet ira terrigena", r a p i d u s et r a b i d u s in omnibus Libris manuscriptis sexcenties confunduntur. Possis etiam interpunctione mutata legere:

Nec frustra, rabido stimulante dolore, fuisset
Impetus — —

Quod nescio an melius sit. Est enim poëtarum paene lex, non sinere substantivum adiectivo suo carere, neque Noster ab hac regula discedit.

Sil. VI. 270:

— — nec iam amplius aegra
Consuetum ad nisus spina praestante rigorem,
Et solitum in nubes tolli caput, acrius instat.

Locus corruptissimus, quem sanare conatus est Wolfius legens: „Ut solito in nubes tollit caput". Quam lectionem omnes fere Editores reiciunt. Utinam meliorem dedissent!

Permulta mihi temptanti, ac rursus reicienti, postremo in mentem venit legere: „Et solito in nubes tolli capite" scil. praestante rigorem (vel vigorem, ut aliquot codices habent). Quamvis minime contendere ausim, hanc veram esse lectionem, praestat tamen vulgatae eo, quod sensum praebet, quae res, opinor, neque de vulgata lectione, neque de Wolfii coniectura dici potest. Meram coniecturam eam appellare contentus sum.

Multo maiore cum fiducia convertor ad versum 280 eiusdem libri, ubi de eodem hoc dicit:

— — Magnoque fragore
Discussit trabs acta caput, longoque resolvens
Aggere se ripae tandem exhalavit in auras
Liventem nebulam fugientis ab ore veneni.

Resolvere se de draconibus dici nusquam reperire potui. Revolvere et volvere contra de serpentibus dici solent. Cf. Cic. de Nat. Deorum. II. 42:

Torvus draco serpit subter superque revolvens
Sese conficiensque sinus e corpore flexos.

Vergil. Aen. VII. 350 item de serpente:

Ille inter vestes et levia pectora lapsus
Volvitur — —

Versu 227 huius libri legitur resolvens, sed ibi recte, scil. resolvens orbes contortos.

Itaque hoc loco, una litera mutata, legere malim:

— — longoque revolvens
Aggere se ripae — —.

Sil. VI. 326. sqq. Versus corrupti. Agitur de dolo, quo Xanthippus Romanos in insidias induxit:

At fraudem nectens, socios ubi concava saxa
Claudebant, vertit subito certamine Graius,
Et dat terga celer ficta formidine ductor.

Varias sanandi rationes, quas omnes hic enumerare longum est, adhibuerunt Viri Docti. Miror quod nemo adhuc haesit in verbo certamine, quod intelligere nullo modo possum. Melius verbum invenire conatus sum.

In mentem mihi venit conamen.

Sil. VII. 142:

— — exacuens varia ad conamina mentem.

Lucr. VI. 326:

— — Magnum conamen sumit eundi.

Lucan. IV. 286:

— — et mobile nervis
Conamen calidus praebet cruor, — —.

Ovid. Fast. IV. 325:

— — exiguo funem conamine traxit.

Vel Luctamen.

Vergil. Aen. VIII. 89:

— — remo ut luctamen abesset.

Valer. Flacc. II. 234:

— — seque toris misero luctamine trunci
Devolvunt. — —

Claudianus. Bell. Get. 138:

Primus fulmineum lento luctamine Poenum
Compressit Fabius.

Sil. VII. 274:

Qua nemorosa iuga, et scopulosi vertice colles
Exsurgunt.

Dubito annon legendum sit scopuloso. Cf. VIII. 390: „Scopulosi verticis Anxur." Melius, opinor, adiectivum iungitur cum vertice quam cum colles. Vertice enim sine epitheto legitur contra poëtarum usum. Quodsi mecum legas scopuloso, et vertice habet epitheton et colles.

Sil. VII. 674:

Ut, qui viscatos populatur arundine lucos.

Optime Barthius et Heinsius coniecerunt viscata. Cf. Martial. Epigr. IX. 54:

Aut crescente levis traheretur arundine praeda,
Pinguis et implicitas virga teneret aves.

Nil, credo, melius excogitari potest. Attamen recentiores Editores defenderunt hanc absurdam lectionem viscatos. Quasi luci viscati sint! Rupertius: „vulgata lectio non mutanda, quia doctior est et poëta epitheta verbis, ad quae proprie non spectant, iungere solent." Sic et Ernesti. Miri-

ficas nugas viri alioquin satis sano ingenio praediti interdum iactaverunt. Mihi persuasum est Barthii Heinsiique lectionem viscata unicam veram esse.

Sil. VIII. 373:

> Nec mos pennigeris pharetram implevisse sagittis;
> Pila volunt, brevibusque habiles mucronibus enses.

Languidius quid, quam volunt illud vix reperiri potest. Quod quum et alii viderent, corrupto loco mederi temptaverunt. N. Heinsius volant, quod tamen de ensibus dici non potest. Rupertius suspicatur colunt i. e. amant, praeferunt. Sed hoc eundem sensum exhibet atque volunt, ita ut placere minime possit. In animum mihi venit vibrant, in tali re verbum usitatissimum. Cf. Cic. Orat. II. 30. hastam vibrare. Cic. in Catil. II. 10. sicas vibrare. Ovid. Heroid. IV. 43. iaculum vibrare. Sil. I. 539. Ultrix iniusti vibravit lancea belli.

Sil. IX. 230:

> — — — Varioque auxere tumultu
> Flumineum latus — — —

Mira discrepantia Codicum in verbo. Oxonius habet auxere; Puteaneus hausere, qua re, praeterquam quod auxere omni sensu caret, vitium quoddam huic verbo inesse suspicor. Plane astipulor N. Heinsio legenti: Et vario cinxere. Prava lectio sic nata esse mihi videtur. Primo pro cinxere, quod facillime fieri poterat, scribebatur auxere; quod vitium quum semel in textum irrepsisset, metro per-

turbato medendi causa pro et vario substitutum est varioque.

Sil. X. 83:

At coniux Iovis, ut Paulum depellere dictis
Nequidquam fuit et consul non desinit irae.

In his verbis ut et contra grammaticae regulas et contra concinnitatem iungitur cum tempore praesenti. Omnia recte erunt, si leges: et consul non destitit irae. Cf. Vergil. Aen. X. 441: tempus desistere pugnae.

Sil. XII. 424:

— — Nihilo levior nec parcior ira.

N. Heinsius recte irae. Cum genitivo Silius hoc adiectivum semper iungit, ut III: parcus cruoris. Cf. et. Iustin. VI. 8. 6: parcus pecuniae. Suet. Caesar. 53: parcissimus vini. Iustin. XI. 13 parcus somni.

Sil. XV. 430:

Circa fracta iacent excussaque morsibus ossa.

Describit Hasdrubalis pallium, diversis figuris intextis ornatum. Inter alia exhibet antrum Polyphemi, qui, duobus Ulyssis comitibus, devoratis, vinum poscit. Quantum scio, alibi excussa in hoc sensu non legitur; unde suspicio mihi incidit hoc verbum corruptum esse. Quaerenti meliora venit mihi in mentem exesa, quod verbum et necessarium sensum praebet, et a tradita lectione haud ita multum recedit. Exedere et exesus passim occurrunt,

velut, qui locus imprimis coniecturam meam confirmare videtur, in Plinii epistolis: O s s a n u d a e t e x e s a; apud Senecam: S a x a e x e s a; Sil. VI. 161: O s s a s e m e s a.

Sil. XVI. 621:

> An, quum tu Syrtin ac steriles vastabis arenas,
> Non dira illa lues notis iam moenibus urbis
> Adsiliet?

Quomodo Syrtis ac steriles arenae vastari possint, ego non assequor. Legere malim l u s t r a b i s i. e. percurres, quamquam emendatio fortasse audacior est. Passim sic legitur l u s t r a r e, ut: Vergil. Aen. III. 385: aequor lustrare; Horat. Carm. III. 25. 12: Rhodopen lustrare; Cic. Tusc. Disp. IV. 19: terram lustrare.

Sil. XVI. 667:

> Ne finem longis tandem peperisse ruinis
> Sit noster titulus.

Primo obtutu in his verbis omnia recte se habent. Paulo accuratius autem ea inspicientem fallere non potest, verbo t a n d e m mirum quendam languorem inesse. Scipio monet milites, ut sibi fortasse detur Carthaginem evertere, quo facto bello praeclarus finis imponatur. Quod quum ita sit, non satis est dicere t a n d e m. Notio longinquitatis temporis non requiritur, quippe quae in verbis l o n g i s r u i n i s satis superque expressa sit. Legere malim t a n t u m, ut sensus sit: Ne contenti simus finem parere cladibus perpetuis, Hannibalem ab Italia avertendo: Carthago delenda nobis superest,

qua re aeternae laudis compotes fiemus. Duabus literulis mutatis verborum gravitas haud parum augetur.

Sil. XVII. 497:

— — ac fiducia tanta
Quos tulit, ut superum regi soliumque domosque
Irent direptum.

Haec verba, sine dubio vitio laborant.

Dativus r e g i cum verbo d i r i p e r e iunctus ferri non potest: Legendum vel

r e g i s — — d i r e p t u m (ante s o l i u m litera *s* facillime excidere potuit), vel

r e g i — — d e r e p t u m vel e r e p t u m.

THESES.

THESES.

I.

Aristoph. Vesp. 764 sqq.:

Βδε. συ δ' οὖν, ἐπειδὴ τοῦτο κεχάρηκας ποιῶν,
ἐκεῖσε μὲν μηκέτι βαδίζ', ἀλλ' ἐνθάδε
αὐτοῦ μένων δίκαζε τοῖσιν οἰκέταις.
Φιλ. περὶ τοῦ; τί λῃρεῖς; Βδε. ταῦθ' ἅπερ ἐκεῖ πράττεται

Pro ταῦθ' legatur: ταὐθ'.

II.

Soph. Oed. Col. 1340:

ὅν, εἰ σὺ τἠμῇ ξυμπαραστήσει Φρενὶ,
βραχεῖ συν ὄγκῳ καὶ χρόνῳ διασκεδῶ.

Corrigendum videtur: βραχεῖ συν ὄκνῳ.

III.

Aesch. Prometheus. 36 sqq.:

Κρ. εἶεν, τί μέλλεις καὶ κατοικτίζει μάτην;
τὶ τὸν θεοῖς ἔχθιστον οὐ στυγεῖ θεὸν,
ὅστις τὸ σὸν θνητοῖσι προὔδωκεν γέρας;

Scribendum est: οὐ στυγεῖς θεὸς.

IV.

Hymn. ad Cererem, 171 sqq.:

ῥίμφα δὲ πατρὸς ἵκοντο μέγαν δόμον, ὦκα δὲ μητρὶ
ἔννεπον, ὡς εἶδόν τε καὶ ἔκλυον.

Emendandum est: ἔννεπον οἷα *Fίδον*.

V.

Plutarch. Cicero 20:

ὁμοίως δὲ καὶ Κόϊντος ὁ ἀδελφὸς καὶ τῶν ἀπὸ Φιλοσοφίας ἑταίρων Πόπλιος Νιγίδιος, ᾧ τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις.

Legendum videtur: περὶ τὰς πολιτικὰς πράξεις.

VI.

Appian. Illyr. 26:

τὴν δὲ σπεῖραν ἣ τὸ Φυλάκιον ἐξέλιπε διακληρώσας, ἐζημιώσε τὸ δέκατον.

Corrigendum est: τὸν δέκατον.

VII.

Polyb. III. 40. 13:

ἐπεὶ δὲ τῶν ὑψηλῶν ἥψαντο χωρίων, ἐπὶ ποσὸν συνέστησαν οὕτως ὥστε μόλις εὐσχήμονα ποιήσασθαι τὴν ἀποχώρησιν.

Legendum est: *ὁμαλῶν.*

VIII.

Thuc. I. 55. 1:

οἱ δὲ Κορίνθιοι ἀποπλέοντες ἐπ' οἴκου Ἀνακτόριον, [ὃ ἐστιν ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Ἀμπρακικοῦ κόλπου] εἷλον ἀπάτῃ κ. τ. λ.

Inclusa delenda videntur.

IX.

Thuc. III. 64. 1:

δῆλόν τε ἐποιήσατε οὐδὲ τότε τῶν Ἑλλήνων ἕνεκα μόνοι οὐ μηδίσαντες, ἀλλ' ὅτι οὐδ' Ἀθηναῖοι, τοῖς μὲν ταὐτὰ βουλόμενοι, τοῖς δὲ τἀναντία.

Scribendum est: *μόνοι τῶν Βοιωτῶν.*

X.

Thuc. III. 113. 3:

καὶ τις αὐτὸν ἤρετο, ὅτι θαυμάζοι καὶ ὁπόσοι αὐτῶν τεθνᾶσιν, οἰόμενος αὖ [ὁ ἐρωτῶν] εἶναι τὸν κήρυκα ἀπὸ τῶν ἐν Ἰδομέναις.

Inclusa delenda videntur.

XI.

Thuc. IV. 115. 3:

τὸ δ' οἴκημα λαβὸν μεῖζον ἄχθος ἐξαπίνης κατερρύη καὶ ψόφου πολλοῦ γενομένου τοὺς μὲν ἐγγὺς καὶ ὁρῶντας τῶν Ἀθηναίων ἐλύπησε μᾶλλον ἢ ἐφόβησεν.

Scribendum videtur: *ἐφόβησε μᾶλλον ἢ ἐλύπησεν.*

XII.

Tac. Ann. XIV. 5:

Acerronia super pedes cubitantis reclinis paenitentiam filii et reciperatam matris gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo ruere tectum l o c i multo plumbo grave.

Corrigendum est: t e c t i.

XIII.

Tac. Ann. XIV. 10:

Reliquo noctis modo per silentium defixus, saepius pavore exsurgens, et mentis i n o p s lucem opperiebatur tamquam exitium adlaturam.

Legendum videtur: i m p o s.

XIV.

Tac. Ann. XV. 70:

Senecio posthac et Quintianus et Scaevinus non ex priore vitae mollitia, mox reliqui coniuratorum periere, nullo facto dictove m e m o r a n d o.

Emendandum est: m e m o r a n d i.

XV.

Horat. Satyr. II. 3. 238:

Sume tibi decies, tibi tantundem; tibi triplex
Unde uxor media c u r r i t de nocte vocata.

Legatur: c u r r a t.

XVI.

Plin. Epp. ad Trai. 77:

Onera maxima sustinent tantoque graviores iniurias quanto et infirmior patitur.

Corrigendum videtur: quanto est infirmior.

XVII.

Plin. Epp. ad Trai. 110:

Utebaturque mandatis tuis, quibus eiusmodi donationes vetantur.

Scribendum est: nitebaturque.

XVIII.

Suet. Augustus. 100:

Senatus et in funere ornando et in memoria honoranda eo studio progressus est.

Legendum est: eo studii.

XIX.

Suet. Augustus. 13:

Neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.

Corrigendum videtur: meritoque.

XX.

Suet. Claudius. 6:

Cum interim, quamquam hoc modo agenti, numquam aut officium hominum aut reverentia publice defuit.

Emendandum est: Cui (scil. Claudio).

XXI.

Caesar. de B. G. I. 31:

Hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse eius imperia diutius s u s t i n e r e.

Legendum est s u s t i n e r i.

XXII.

Liv. XXII. 8:

Equus repente corruit consulemque l a p s u m super caput effudit.

Scribendum videtur: l a p s u s.

XXIII.

Liv. XXII. 17:

Quo (scil. boum) discursu haud secus quam silvis montibusque accensis omnia circa virgulta visa ardere, capitumque i n r i t a quassatio excitans flammam hominum passim discurrentium speciem praebebat.

Corrigendum videtur: i n c i t a.

XXIV.

Liv. XXII. 8:

Pars non id, quod acciderat, per se aestimare, sed, ut in affecto corpore quamvis levis causa magis quam valido gravior sentiretur — —

Scribendum est: i n v a l i d o.

XXV.

Liv. XXII. 19:

Itaque ut improvidos incautosque universo simul terrore effuso opprimeret, sublatis ancoris ad hostem vadit.

Requiri videtur: offuso.

XXVI.

Liv. XXII. 54:

Consule exercituque ad Trasimennum priore anno amisso non vulnus, sed multiplex clades, cum duobus consulibus duo consulares exercitus amissi nuntiabantur.

Emendandum videtur: nunc non vulnus.

XXVII.

Liv. XXIII. 16:

Satis terroris tumultusque in mediam aciem intulerant, cum duabus portis P. Valerius Flaccus et C. Aurelius legati in cornua hostium erupere.

Scribendum videtur: in mediam iam aciem.

XXVIII.

Liv. XXVII. 46:

Fessique aliquot somno et vigiliis sternunt corpora passim atque infrequentia relinquunt signa.

Corrigendum est: insomnio.

XXIX.

Cic. pro Caelio. 2:

Nemini unquam [praesenti] maiores honores habuerunt quam [absenti] M. Caelio.

Pro praesenti emendandum videtur: Praenestini.

JUL - 7 '52 H
AUG 4 '52 H